ORIGINES FEODI
QVA VOCEM QVA REM
NON EXTERNAS SED GERMANICAS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PVBLICO EXAMINI SISTVNT

D. GEORGIVS CHRISTIANVS
GEBAVERVS
SVPREM. CVRIAE PROVINC. ADSESSOR
ET IVRIS FEVDALIS P. P.
ET
RVDOLPHVS A BÜNAV
EQVES MISNICVS

LIPSIAE CIƆ IƆCC XXXII KAL. AVG.

LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMII.

AEQVO LECTORI.

B*Ene et ſapienter Iuris noſtri Conditores magnam verborum ſuſceperunt curam, quod illis ſatis cognitum eſt, qui paulo intimius in Themidos Romanae adyta ſe penetrarunt.* AELIVM GALLVM *Libros XII. de verborum, quae ad Ius pertinent, ſignificatione ſcripſiſſe,* CAIVM *Libros de Origine Vocabulorum reliquiſſe, conſtat.* TRIBONIANVS *et Socii illud ſplendidum Iuſtitiae Templum celebratiſſima rubrica de V. S. veluti apice exornarunt. Praeclare* VLPIANVS *in ipſa fronte Digeſtorum:* (a) Iuri operam daturum prius noſſe oportet, vnde nomen Iuris deſcendat. *An vero tanto Auctore ſuffultis non licebit dicere :* Feudis operam daturum, prius noſſe oportet, vnde nomen Feodi deſcendat? *Nouimus equidem, plures eſſe inter Viros doctos, qui vbi de Etymologica doctrina aliquid tradi ſentiunt, primum arrectis auribus adſtant, mox. poſt tria verba, ſua opinione, ſomnia et gerras auditas, in effuſiſſimum petulanti ſplene cachinnum ſoluuntur. Sed et nouimus, hos eſſe fere, qui has literas, quia earum rudes, oderunt, quorum adeo voces nos nihil morantur. Originem etiam Rei feudalis ex parte ſumus ſcrutati, vbinam vero? in rebus eius aeui, in quo nata dicitur. Absque antiquitatis cura non potuit inſtitui noſtra tractatio, quam tamen haud pauci non minus faſtidiunt. Nobis potior eſt ſacratiſſimi Imperatoris* D. IVSTINIANI *Auctoritas, cui viſum,* vt nihil antiquitatis penitus ignoretur. (b) *Sed quid plura? Sat monita ſunt Labra, quibus hae non ſimiles Lactucae: reliquos, vt quicquid eſt antiquariae dapis, aequi bonique conſulant, rogamus.*

(a) L. 1. pr. D. de I. et I. (b) §. 1. I. de Teſtam. ordinand.

CAPVT PRIMVM
VOCIS: FEVDI ORIGO GERMANICA.

I.

Feudum olim Beneficium.

FEVDORVM *nomen latine ſcribentibus recentius eſt, quam res ipſa, quippe quae Beneficii nomine antea veniebat*, ſunt verba Viri noſtra laude maioris, IOANNIS SCHILTERI in *Inſtitutionibus Iuris feudalis*, (a) eaque veriſſima. Quo ipſo conſequitur, fuiſſe aetatem, quae latini ſermonis ſtudioſior nomine Romano rem Germanicam expreſſit, quam alia excepit, promiſcuum Latinae Germanicaeque vocis vſum amplexa, donec illa naſceretur, quae in omnem barbariem procliuior, abolita fere latiniſſima dictione, feudi nomen vnice probaret. Nos in origines vocis: FEVDVM inquiſituros, opinamur, nihil praeter officium facturos, ſi ante de voce Romana nonnulla proferamus in medium, quam Germanicas Germanici vocabuli origines ſcrutemur, cum non poſſit non eſſe inter voces, quarum altera alteri ſucceſſit, quaedam veluti neceſſitudo.

Res puta per beneficium data.

II. Beneficium L. ANNAEO SENECAE (b) *Beneuola eſt actio tribuens gaudium capiensque tribuendo, in id, quod facit, prona et ſponte ſua parata.* Meruit hac ſua definitione Philoſophus Romanus, vt eius nomen in Iuris Longobardici Libris legatur. Vſus eſt ea OBERTVS DE ORTO ad Anſelmum Filium (c) et multis illuſtrare annifus eſt IACOBVS DE ARDIZZONE DE BROILO, vetuſtiſſimus ICtus, in *Summa Feudali*, (d) quem deinde alii, vitio Noſtris nimium familiari, vt grus gruem, ſecuti ſunt. Nobis non tam de bene facto, quo datur, quam de eo, quod datur, ſermo eſt, maxime de fundo beneficiaria lege in alterum translato, quem

(a) C. I. §. I. (b) de Beneficiis Libro I. c. 6. (c) II. F. 23. (d) C. III.

quem significatum num non ignorauerit melior Latii aetas, a nobis nunc inquirendum est.

III. Praeter illam, qua omne liberalitatis genus denotatur, vocis BENEFICII acceptionem, reliqui restrictae magis potestatis sensus ad quatuor potissimum species redire videntur. Prima est, qua honores, dignitatesque, maxime promotiones ad ordines gradusque militares, Beneficia appellantur. CICERO in *Oratione pro C. Plancio.* (e) *Venio nunc ad ipsius Populi partes, vt illius contra te oratione potius quam mea disputem. Qui si tecum congrediatur, et si vna voce loqui possit, haec dicat: Ego tibi, Lateranensis, Plancium non anteposui: sed, cum essetis aeque boni Viri, meum* BENEFICIVM (de Aedilitate TVLLIO sermo est, in cuius petitione Cn. Plancius M. Iuuentio Lateranensi praelatus erat) *potius ad eum detuli, qui a me contenderet, quam ad eum, qui minus submisse supplicaret.* CAESAR in *Commentariis de Bello Ciuili* (f) *se doluisse*, ait, *quod P. R.* BENEFICIVM *sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur; ereptoque semestri imperio in vrbem retraheretur, cuius absentis rationem proximis comitiis haberi populus iussisset.* LIVIVS de C. Iunii Bubulci III. et Q. Aemilii Barbulae II. Consulatu (g). *Et duo imperia eo anno dari coepta per populum vtraque pertinentia ad rem militarem: vnum vt tribuni militum seni deni in quatuor legiones a Populo crearentur, quae antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum et Consulum ferme fuerant* BENEFICIA. SVETONIVS de Tiberio: (h) *Venit etiam in suspicionem per quosdam* BENEFICII *sui Centuriones, a commeatu castra repetentes, mandata ad plures dedisse ambigua.* AELIVS LAMPRIDIVS in Vita Alexandri Seueri: (i) *Praesides vero, Proconsules et Legatos nunquam fecit ad* BENEFICIVM, *sed ad iudicium vel suum vel Senatus.* VALERIVS MAXIMVS: (k) *L. quoque Petronius, admodum humili loco natus, ad equestrem ordinem et splendida militiae stipendia P. Coelii*

Beneficium I. Promotio ad honores dignitatesque.

(e) C. V. (f) L. I. c. 9. (g) L. IX. c. 30. (h) in Vita c. 12.
(i) c. 46. (k) Lib. IV. c. VII. in Rom. n. 5.

Coelii BENEFICIO *peruenit.* Feudo nec cum honoribus, (l) nec dignitatibus, nec militari decore, vel gradu quicquam rei est, adeoque hoc sensu Beneficium appellari nequit.

II. Immunitatis militaris genus

IV. Altera BENEFICII species est data a militaribus laboribus immunitas. Milites in hunc modum immunes BENEFICIARII appellabantur, reliqui *munifices.* Clarissime VERRIVS FLACCVS: BENEFICIARII *dicebantur milites, qui vacabant muneribus* (m) *beneficio, e contrario munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus reipublicae* (n) *faciebant.* Dura Romanis militia et in primis muneribus grauis. Ipsae Legiones tumultuantes ad Germanicum *duritiam operum,* ac propriis nominibus incusant, *vallum, fossas, pabuli, materiae, lignorum adgestus,* et si qua alia ex necessitate aut aduersus otium castrorum quaerebantur. Adde si lubet, quae ad hunc TACITI locum (o) GRONOVIVS congessit. Immo artis militaris Magister FLAVIVS VEGETIVS nos docet: (p) *Fasciculariа, id est, lignum, foenum, aquam, stramen, etiam legitimos milites ad castra portasse, munifices enim ab eo appellatos, quod haec munia faciant.* Erant inter milites, qui horum munerum vacationes a centurionibus ad tempus pecunia redimebant: Percennius apud TACITVM (q) seditiose

(l) vt illa vox inter Romanos accipiebatur. Nam alias Feuda *Honores* appellatos constat. vide ALTESERRAM *de Feudis Galliae c.* 10.

(m) Ita legit SALMASIVS et rectissime. Perperam DACERIVS, qui vult: *qui vacabant munere Ducis beneficio,* neque enim Ducem vnice et Imperatorem, sed et Tribunos haec dedisse beneficia; infra apparebit. Hanc tamen lectionem amplexus est PITISCVS *in Lexico Antiqu. Rom.* voce: *Beneficiarius,* non minus falsus in hoc, quam in eo, quod scripsit: *Beneficiarios dictos, qui gratiosam in militia missionem essent consecuti,* immo vero Beneficiarii erant, quam maxime militantes, quales illi de quibus TACITVS *Annal. I. c.* 36. *ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis,* quae vera demum est militia.

(n) *reipublicae.* Hanc vocem ab interpolatore esse, nullus dubito. Adde PAVLVM *in l.* 18. *D. de V. S.*

(o) Annal. I. 35. (p) L. II. c. 19. (q) Annal. I. 17. conf. c. 35.

tiose concionatur: *denis in diem assibus animam et corpus ae-stimari, hinc vestem, arma, tentoria, hinc saeuitiam centurio-num et vacationes munerum redimi*, et Milites Othoniani apud EVNDEM (r) *flagitarunt, vt vacationes praestari centurioni-bus solitae remitterentur, quod eas gregarius miles, quarta ma-nipuli pars, vt tributum annuum penderet;* Erant qui vacatio-nem, vt opinamur, in perpetuum a Consulibus, Legatis, Pro-consulibus, Praetoribus, Praefectis, Tribunis et pro benefi-cio obtinebant. CAESAR de Bello Ciuili (s) *Petreius vero non deserit se, armat familiam, cum hac et praetoria coborte, ce-tratorum, barbarisque equitibus paucis*, BENEFICIARIIS *suis, quos suae custodiae causa habere consueuerat, improuiso ad val-lum aduolat.* atque iterum (t) de Pompeii copiis: *cohortes CX. expleuerat, haec erant millia XLV. Euocatorum circiter duae, quae ex* BENEFICIARIIS *superiorum exercituum ad eum conuenerant.* In Lapidibus multa est horum Beneficiario-rum mentio, quos in opere GRVTERIANO facile cupidis indicabit *Index VI. ad rem militarem et bellicam* pertinens. Adiiciamus ex REINESIANO *syntagmate* (u) VMIDIVM AVITVM MILIT. LEG. VII. GEMIN. FELICIS BENEFICIA-RIVM IVN. OMVLLI CONSVLAR. et ex FABROTTI Appa-ratu (w) Q. VOLCATIVM Q. F. CELEREM MILITEM COH. IX. PR. BENEFICIARIVM TRIBVNI ATTICI. Sed reuertamur ad CAESARIS loca, ex quibus rem non vnam obseruare datur. Primum equidem Beneficiarios, Exercitu vel Legione dimissa, et ipsos missionem honestam nactos; immo, vbi Beneficii memoria eos impulit, castra pristini Du-cis sequi, in nouum nomen, vt illi Pompeiani Beneficiarii in cohortes Euocatorum, transiisse, eosdem tamen non qua-dam necessitate impulsos, sed sponte ad Ducem conuenisse, vt adeo fallantur ii, (x) qui Beneficiarios nescio quo stipen-dio

(r) Histor. I. 46. (s) L. I. c. 75. (t) L. III. c. 88. (u) Classe VIII. n. 52. conf. n. 35. (w) Cap. III. n. 141. conf. n. 72. et 135.

(x) v. ILL. LVDEWIGIVS de Iure Clientelari Germanorum Sect. I. c. II. §. 9. not. (u)

dio conductos credunt homines, qui nexu perpetuo essent addicti illis, quorum beneficio viuerent. Deinde, Petreium beneficiarios suae custodiae causa habere consuesse. Scilicet milites hi, qui a muneribus vacabant, aderant Duci, eum sectabantur, comitabanturque, praesto futuri, vbi quid vel publicae vel priuatae rei peragendum. In his mandatis cum vel lautiore stipendio fruerentur, vel alias rem faciendi multiplex, vt hodienum fieri assolet, se ostenderet occasio, verum denique beneficium haberi coepit, esse Beneficiarium. Et tales sunt, quorum apud PLINIVM (y) fit mentio: *Gabius Bassus*, inquit Vir Magnus, *Praefectus orae Ponticae - - venit ad me - - cui ego notum feci praecepisse Te, vt ex cohortibus, quibus me praeesse voluisti, contentus esset* BENEFICIARIIS *decem, equitibus duobus, centurione vno. Respondit: non sufficere sibi hunc numerum, idque se scripturum Tibi.* Sed TRAIANVS Imperator tersissima Epistola (z) negauit. Iterum PLINIVS (a) ad Caesarem: *Maximus, Libertus et Procurator Tuus, praeter decem* BENEFICIARIOS, *quos adsignari a me Gemellino, optimo Viro, iussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites.* Maximo huic ad comparationem frumentorum in Paphlagoniam fuisse proficiscendum, ex eadem Epistola, et TRAIANI Rescripto liquet. His Beneficiariis Praesides ad conquirendos, immo ad emungendos facinorosos homines vsos esse TERTVLLIANI locus est luculentus *in Libro de Fuga in Persecutione* c. XIII. quem tamen, quod mireris, nec ISAACVS CASAVBONVS (b) nec CLAVDIVS

(y) L. X. Epist. XXXII.

(z) proxima XXXIII. cui, quo minus medicinam in transitu faciam, quid vetat? CELLARIANA, qua vtor, habet; *quod quaeris, scripsisse me*, et annotat Vir doctus, desperatum locum criticos fere sine medicina reliquisse, nisi, quod BOXHORNIVS diuinarit: *Quid querenti scripserim.* An vero Gabius Bassus, qui ad Propraetorem reuerentissime venit, apud Caesarem, immo et de Caesare conquestus est? Legas: *Quoi quae rescripserim.*

(a) L. X. Ep. 36. (b) in not. ad Spart. Hadr. c. 2.

DIVS SALMASIVS (c) nec GVIDVS PANCIROLVS (d) nec nouissime ILL. LVDEWIGIVS (e) nec B. GVNDLINGIVS prorsus et penitus intellexerunt. Verba sunt: *Nescio, dolendum an erubescendum sit, cum in Matricibus* BENEFICIARIORVM *et Curiosorum, inter tabernarios, et lanios, et fures balnearum, et aleones, et lenones, Christiani quoque vectigales continentur.* CASAVBONVS Beneficiarios et eos, quos vectigales habebant, manifeste confundit. PANCIROLVS eos, *qui tributa aut census fisco debitos exegerunt, Beneficiarios appellatos vult*, quo auctore, ego quidem hactenus ignoro, certe non TERTVLLIANO. SALMASIVS parum dissentit a PANCIROLO, nisi quod addat, *hoc doluisse Tertulliano, quod in libris censualibus beneficiariorum, tanquam impurae vitae homines, impuris accenserentur*, ac si in Christianorum manu positum fuisset, quo loco in libris censualibus legerentur, aut valde erubescendum fuerit TERTVLLIANO, suos impuris accenseri, cui, ignominiosissimas mortes fuga declinare, piaculum fuit. CASAVBONVM LVDEWIGIVS est secutus, PANCIROLVM GVNDLINGIVS. Mihi illi Beneficiarii Milites sunt, sed, vt optime Glossae veteres verborum iuris: (f) *στρατιῶται ἐπὶ θεραπείᾳ τῶν Μαγιστράτων τεταγμένοι.* Curiosi sunt delatores, vt dudum vidit magnus CVIACIVS. (g) Hi homines impuros venabantur; vbi dolosi spes affulgebat nummi, in matrices relatos tutabantur, vel ausu proprio, vel infami cum Praeside collusione. In his matricibus legi Christianos indignatur TERTVLLIANVS sui ipsius optimus Interpres. Ita autem c. XII. *Tu autem pro eo* (homine) *pacisceris cum delatore* (en! curiosum) *vel milite* (quo alio quam beneficiario?) *vel furunculo aliquo praeside, sub tunica et sinu, quod aiunt, furtiuo, quem coram toto mundo Christus emit, immo*

et

(c) in not. ad eund. loc. (d) in Notit. Imp. Orientis c. 88.

(e) de Iure Clientelari German. Sect. 1. c. 2. p. 41. dudum a Collega de hac re monitus in GVNDLINGIANIS P. II. n. 1. §. 10.

(f) a CAROLO LABBAEO editae pag. 6. Adde IAC. GOTHOFREDVM inexhaustum illum doctrinae fontem *ad L. 5. C. Theod. de Cohortalibus.* (g) ad Nouellam XIII.

et manumisit. Et versus capitis finem: *Cum igitur nihil nobis indixerit in hunc modum stipendiariae sectae, sed nec indici vnquam aliquid tale possit, Antichristo iam instante, et in sanguinem non in pecunias hiante Christianum, quomodo mihi proponere potest scripturam esse: Reddite quae sunt Caesaris Caesari? Miles me, vel delator, vel inimicus concutit* (en! iterum Beneficiarium, Curiosum et Praesidem) *nihil Caesari exigens, immo contra faciens, cum Christianum legibus humanis reum mercede dimittit.* Vis exemplum? habet TERTVLLIANVS c. 4. extremo: *Rutilius sanctissimus Martyr, quum totiens fugisset persecutionem de loco in locum, etiam periculum (vt putabat) nummis redemisset, post totam securitatem, quam sibi prospexerat, est inopinato apprehensus, et Praesidi oblatus, tormentis dissipatus, credo pro fugae castigatione, dehinc ignibus datus, passionem, quam vitarat, misericordiae Dei retulit.* Et late malum serpserat, teste NOSTRO PATRE, verbis, quae nostrum locum proxime antecedunt: *Parum denique est, si vnus aut alius ita eruitur. Massaliter totae Ecclesiae tributum sibi irrogauerunt.* Ex his omnibus liquido apparet, inter Beneficiarios numerari, fuisse rem non infructuosam, quae adeo magis magisque pro vero Beneficio haberi, et pro tali a Tribunis peti coepit. Et ita recte FLAVIVS VEGETIVS ad Valentinianum Augustum et ex vsu suorum temporum. (h) BENEFICIARII *ab eo appellati, quod promouentur Beneficio Tribunorum - - Hi sunt Milites Principales qui priuilegiis muniuntur. Reliqui munifices appellantur, quia munia facere coguntur,* (i) quo ipso nihil diffidet a VERRIO FLACCO, qui ex aureae aetatis vsu et de prima vocis origine accipiendus. Quod superest, monere vix attinet, Vasallos nostros ab his Beneficiariis multum discrepare. (k)

V. Ter-

(h) de re militari L. II. c. 7.

(i) homines fere pauperculi. AMMIANVS MARCELLINVS L. XVI. c. 5. Caesaris Iuliani frugalitatem laudaturus *munificis militis vili et fortuito cibo contentum* scribit.

(k) Cum hic dissensus nonnullos moretur, illud conciliandi genus per exemplum

V. Tertiam Beneficii ſpeciem facimus pecuniam publicam, quam Magiſtratus, qui cum imperio in prouinciis verſabantur, inter eos, quorum forti et fideli opera vſi erant, diſpertiebantur, quae largitiones, vt eſſent ratae, Magiſtratuum in vrbem reuerſorum erat, comites ſuos *in beneficiis*, vt Veteres loquuntur, *ad aerarium deferre.* CICERO *pro Archia:* (l) *Et in* BENEFICIIS *ad aerarium delatus eſt a L. Lucullo Praetore et Conſule.* Atque iterum pro L. Cornelio Balbo: (m) *Placuit homini prudentiſſimo:* (Caeſari) *in ſumma Amicorum copia cum familiariſſimis eius eſt adaequatus in Praetura, in Conſulatu Praefectum Fabrum detulit.* Et denique de ſeipſo Proconſule in Epiſtola ad Coelium Rufum Quaeſtorem ſuum: (n) *Quod ſcribis de* BENEFICIIS *ſcito a me et Tribunos militares et Praefectos et Contubernales duntaxat meos delatos eſſe. In quo quidem ratio me fefellit. Liberum enim mihi tempus ad eos deferendos exiſtimabam dari, poſtea certior ſum factus, triginta diebus deferri neceſſe eſſe, quibus rationes retuliſſem. Sane moleſte tuli, non illa beneficia tuae potius ambitioni ſeruata eſſe, quam meae, qui ambitione nihil vterer. De Centurionibus tamen, et de Tribunorum militarium Contubernalibus res eſt in integro. Genus enim horum* BENEFICIORVM *definitum lege non erat.* Legis meminit, quae eſt Iulia, et qua cautum erat, vt Magiſtratus rationes, quas in prouincia apud duas Ciuitates reliquiſſent, ſtatim atque vrbem iniſſent, ad aerarium totidem verbis referrent, atque triginta diebus, quibus rationes retuliſſent, Comites in Beneficiis deferrent. (o) Noui equidem

III. Pecunia publica inter Comites diſtributa.

B 2

plum e iure noſtro depromtum illuſtrabimus. *Arrogatio dicta* ex vero, *quia genus hoc in alienam familiam tranſitus per populi rogationem fit*, vt habet GELLIVS Noct. Attic. L. V. c. 19. formula etiam rogationis adiecta, forte ex Q. Mucii libris. Diuerſiſſima affert GAIVS ICtus in L. 2. D. de adoptionibus: *Quae ſpecies Adoptionis dicitur Arrogatio, quia et is qui adoptat rogatur, id eſt, interrogatur, an velit eum quem adoptaturus ſit, iuſtum ſibi filium eſſe, et is, qui adoptatur rogatur, an id fieri patiatur.* Vterque vere, ille ex veteri memoria, hic ex ſuae aetatis vſu.

(l) c. 5. (m) c. 28. (n) L. V. 20. (o) v. CAROLVS SIGONIVS de Antiquo Iure Prouinciarum L. II. c. XI.

dem Viros in his literis magnos IOANNEM FRIDERICVM GRONOVIVM (p) et IOANNEM GEORGIVM GRAEVIVM (q) in ea versari opinione, *Deferri in Beneficiis ad aerarium* non fuisse emolumentum, verum merum honorem et commendationem: sed iidem nihil afferunt, quo sententiam firment, et multis argumentis contrarium euinci posse videtur. *In Beneficiis* deferre, idem valet ac *inter Beneficia deferre*, iam vero id, quod in spe et expectatione est, deferri minus commode dicitur. *Ad aerarium* deferuntur in beneficiis. Qui vero? An ad eos, qui aerario praesunt, virorum fortium et benemeritorum commendatio pertinuit? an in eorum manu ornamenta fuere, quae sperabant delati? Minime vero: ad Populum oportebat, ad Comitia, ad Senatum. Pecuniam publicam illi custodiebant, rationes Magistratuum accipiebant. De his rationibus intra triginta dies ad aerarium referendis lata Lex Iulia, de deferendis intra totidem dies in Beneficiis, eadem cautum fuit. Quid rationum relationi cum hominum commendatione est negocii? quid illud triginta dierum spatium sibi vult? an viri boni post triginta dies minus commendabiles? Immo vero in beneficiis facta delatio rationum referendarum portio erat, eadem lege, eodem spatio conclusa. Erant, inquam, illa Beneficia rationum reddendarum pars: separatis tabulis conscribenda: quod in manu veluti ac potestate Magistratuum esset illa pecunia: non ea seueritate, qua reliquae rationes, dispungenda: referenda tamen ad aerarium, vt etiam de hoc dispensatae pecuniae publicae genere apud illud praecipuum erogatae in publicos vsus pecuniae tabularium constaret. Eximius prorsus locus est TACITI Historiarum Libro IV. c. 48. *Mox C. Caesar turbidus animi ac M. Silanum obtinentem Africam metuens ablatam Proconsuli Legionem, misso in eam rem Legato tradidit. Aequatus inter duos* BENEFICIORVM NVMERVS, *et mixtis vtriusque mandatis discordia quaesita et aucta.* Iam Numerum Beneficiorum fuisse vnicuique Magistratui constat, licet qualis quan-

(p) de Pecun. Vet. L. III. c. 17. p. 253. (q) in Not. ad Locum pro Archia.

quantusque fuerit ignoremus. Dicere autem Numerum finitum, diuisum, aequatum eorum, qui olim a Magistratibus reuersis apud aerarium commendabuntur, vix ratio patitur. Hunc Magistratuum morem Imperatores, vt alia fere omnia, fecerunt suum. AELIVS LAMPRIDIVS de Alexandro Seuero: (r) *Dabat haec in* BENEFICIIS, *quae famam eius non laederent. Bona punitorum, sed nunquam cum auro, argento vel gemmis (nam id omne in aerarium reponebat).* (s) Plane diuersus a Maximino, de quo LACTANTIVS *in libro de Mortibus Persecutorum:* (t) *Sed et Comites eius sub tali Principe imitabantur -- suorum cubilia impune violabant, quis enim vindicaret? mediocrium vero filias, vt cuique libuerat, rapiebat. Primariae, quae rapi non poterant, in* BENEFICIIS *petebantur, nec recusare licebat, subscribente Imperatore, quin aut pereundum esset, aut habendus gener aliquis barbarus.* Beneficia a Magistratibus et Imperatoribus data vidimus, fundos eo titulo datos non legimus. Ergo nec illa ad Feuda quicquam faciunt. Feudum enim antiquissima destinatione Fundus est.

IV. Fundus Principis liberalitate datus.

VI. Sed et Fundus denique Beneficium apud Romanos fuit, et hanc quartam omnino facio speciem, Feudis nostris in multis affinem. Loca sunt Veterum duo id apertissime testantia, alter HYGINI Aug. Lib. *de Limitibus constituendis*: (u) *Multis locis quae in assignatione sunt concessa et ex his compascua fundi acceperunt. Haec* BENEFICIO *coloniae habent - - si qua* BENEFICIO *concessa aut assignata coloniis fuerint, siue in proximo siue inter alias ciuitates, in Libro* BENEFICIORVM *adscribemus;* alter DOLABELLAE: (x) *Si in agro adsignato aliquando aliquis modus iugerationis vacauerit,*

(r) in Vita c. 46. (s) Confer IACOB. GVTHERIVM *de Offic. Domus August.* L. I. c. 37. qui et illis sanctissimi Seruatoris verbis: Καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες ΕΥΕΡΓΕΤΑΙ καλοῦνται hoc argumentum illustrat.

(t) c. 38. (u) *in Edit. Rei Agrariae Auctorum Goesiana p.* 192. 193.

(x) Laudatae edit. p. 301. Hunc locum ILL. LVDEWIGIVS neglexit, aut cum alio commutauit ARCADII *p.* 260. *Qui Beneficium nostrum legerit, hoc obseruet, vt haec signa vel termini CCL. inter se pedes habeant.* Prorsus praeter rem. Beneficium illud non fundus sed

cauerit, ne putes, subcesiuum remansisse. Quaere primum sit nec ne post aes fixum et machina regionis illius sublata secunda adsignatione alicui adsignatum. Vel, quaeris, si in libro BENEFICIORVM *regionis illius* BENEFICIVM *alicui Augustus dederit.* Horum Beneficiorum penitiore cognitione licet destituamur, tria tamen ex illis locis apertissime confici posse videntur. I. Beneficia haec fuisse fundos. Nempe Coloniam compascua Beneficio habuisse, ait HYGINVS: vacantem iugerationis modum Beneficium esse posse, docet DOLABELLA. II. Datos esse vel gratis et praemii loco, vel ita, vt tamen Beneficium esset. Hoc nomen loquitur, et peculiaris Beneficiorum liber, vt in perpetuum constaret, quinam fundus lege beneficiaria apud possessores esset. III. Beneficia illa a Principis liberalitate fuisse profecta. DOLABELLA: *si beneficium alicui Augustus dederit.* Quibus si coniiciendo addas IV. Veteranos maxime Milites, fidissimos Commilitones a Principe id genus praemiis fuisse exornatos, habes rem ad Feudum proxime accedentem, quod et ipsum Fundus fuit antiquissimo tempore, pro beneficio datus, Principis scilicet liberalitate, vnde *fiscus, munus regium, munus fiscale* passim audit, militiae etiam causa, non equidem actae, sed agendae. AVCTOR *Vitae S. Gothardi Episcopi Hildesemensis* (y) satis apposite: *Institutum Monasticum praeclare illic profecit vsque ad dissensionem, quae extitit inter Ludouicum, Caroli M. filium et Liberos eius. Ea enim tempestate complures spoliabantur Ecclesiae, monasteria vastabantur, atque in his etiam Altahense, cuius* POSSESSIONES *a fidelibus ei collatae* MILITANTIBVS, *pro voluntate* EORVM, QVI SIC DEBACCHABANTVR, BENEFICII, *immo vero* MALEFICII *nomine attribuebantur.* Recte itaque fecere ii, qui rem Latinis literis inauditam hoc coniunctissimae rei vocabulo designarunt.

VII. Com-

sed liber est. Recte WILHELMVS GOESIVS *in Not. p. 175.* monet: *Beneficium, cuius hic mentio est, Commentarius, quo auctor explicat rationem assignationis a se factae.*

(y) apud FRANC. PITHOEVM in Glossario ad Libros Capitularium, voce: *Beneficium.*

VII. Commodum obtigit Feudali Rei BENEFICII nomen, sed luculentius adhuc est illud vernaculum FEODI, cuius origines nunc ordine proponemus, ante omnia Graecas Romanasque, vt a vero remotissimas, inde Germanicas non vnius generis, quarum agmen illa, quae nobis placet, claudet. Mira est sententia IOANNIS BODINI *in Libris de Republica:* (z) *Veteri Iure Feudum aliud nihil est, quam fructus praediorum a vectigalibus liberum, et quondam militiae ac belli aduersus hostes gerendi causa huiusmodi beneficia tribui solebant, principio militiae ex casu; deinde a fide praestanda, feuda dicta sunt. Hinc enim F. E. D. V. M. dici videtur, quod qui fidem daret, his verbis vtebatur:* FIDELIS ERO DOMINO VERO MEO *contractis autem dictionibus in literas* Feudi *appellationem traxerunt: nisi a foedere vtrinque contracto deriuari verius sit.* Mauult equidem ILL. LVDEWIGIVS (a) hoc non ad sententias BODINI, sed ad facetias referre, quibus sermones suos condire solitus fuerit: immo id velle BODINVM, vt a FIDE praestanda FEVDA dicta sint: verum enim vero et verba ipsa BODINI docent a FIDE PRAESTANDA voluisse Feuda deriuari, id est, a formula et solemnibus in Fide praestanda verbis, quorum literae principes in nouam vocem: FEDVM coierint, et ingenium BODINI fuit tale, vt horum nihil illud dedeceat. Quid facetiis opus in re seria ad Lectores ne verbo quidem monitos, quos inter adeo non defuerunt, qui egregium hoc commentum exornarent hunc in modum: *Fidelis Ero Vnice Domino Vero Meo,* aut, si magis placet: *Fidelis Ero Vbique Domino Vero Meo*, V. SIGISM. FINCKELTHAVS. *Disput. Feudali I. Controu. 1. n. 6.* et THOMAS CRAGIVS *Iur. Feud. L. 1. Tit. 9. §. 2.* Sed missis his ineptiis ad paulo saniora progrediamur. *Feudum F. E. D. V. M.*

VIII. CLAVDIVS SALMASIVS *in Disquisitione de Mutuo:* (b) *Constat ad Emphyteuseos exemplar formata fuisse, et ab Emphyteusi originem duxisse omnia illa Contractuum genera,* *Feudum ἀπὸ Φυτόν.*

(z) Libro I. c. 9. p. m. 168.
(a) de Iure clientelari Sect. I. c. 2. §. 5. not. (a) (b) p. m. 337.

nera, quae barbarico seculo Imperii partim in Ecclesiam introducta sunt, partim in Vitam ciuilem, precariarum, libellariarum, censuum, redituum. Etiam Feuda ipsa inde traxerunt nomen fortassean cum re suum. Nam ἐμφύτευσις *ab* ἐμφυτεν *et simplex* φυτὸν. *Vnde Feudum Barbari fecerunt.* Ad haec *Ill.* LVDEWIGIVS, (c) cui etiam loci indicium debemus: *Emphyteuseos iura Iustiniano debemus inuentoribus feudorum Germanis incognita. Deinde, si feudi verbum latini iuris fuit, quid opus fuerit interpretatione vti, vocando illud beneficium. Post a* phyton fytum *dixissemus. Ast quanto opere* fytum a feodo *distat.* Dabimus hanc veniam Graecarum Romanarumque Antiquitatum Helluoni, sed Francicarum et Germanicarum rerum rudi, quod discrimen inter agrum desertum ad ἐμφύτευσιν datum, et fundum pleruraque cultissimum stipendii loco concessum ignorauerit.

Feudum quasi Fundus. IX. *Sunt*, inquit THOMAS CRAGIVS in Iure Feudali: (d) *qui et feudum a fundo deducunt, quasi fundum Beneficii loco concessum, qui nihil aliud est proprie nisi feudum. Nam liquidae literae saepe in Dialectis eliduntur, sic quae latine Insulae Isolae Italice et Germanice* (e) *dicuntur, et ita subtractio literis frequens est, vt illud Virgilii:*

Matrisque vocauit
Nomine Casmillae mutata parte Camillam.

Quod praecipue locum obtinuit post Latinae linguae corruptionem. Mira est vel CRAGII vel illius, qui primus in hanc opinionem delapsus est, diligentia in excusanda τῦ N elisione, de qua facilius transigeremus, si prius ratio constaret, cur prae reliquis omnis generis possessionibus, ea, quae in beneficium concessa magis aut vnice fundus dici meruerit. De Auctore in re tam absona non admodum laborabimus. Gemina videntur, quae MATTHIAS BERNEGGERVS *in disquisitione de Regno Hungariae* in medium protulit: (f) *Deducta pro-*

(c) de Iure Clientelari Germ. Sect. I. c. II. §. 5. not. (2)
(d) L. I. Tit. 9. §. 2. (e) forte Gallice, qui habent *Isles*.
(f) §. 206. p. 107. in editione locupletiore a IOH. FERDINANDO BEHAMB Argent. 1676. 8. curata.

procul dubio notatio Feudi ab Hunno-Vngarico Föld, *quod significat* Terra, Tellus. Sic *Darabföld*, Gleba, *Földes Vr* Dynasta. *Inde forsan Feudum quidam dixere* Foedum *per Syncopen elidendo de medio* l, *et Paragogen addendo in fine syllabam* um. Vt enim praetereamus ea, quae iam dicta sunt, ingens adhuc quaestio superest, an illud Hunnico-Hungaricum *Föld* non potius sit Francico-Teutonicum *Feld*, vt adeo frustra sit bonus ille Vir, qui sub Berneggeriano Praesidio omnes patriae suae laudes cumulauit.

X. Porro reperti sunt, qui feudum a *foedere* prouenisse crediderunt, primum, quod in antiquis chartis vocem Foedi reperissent, deinde, quod ISIDORVS in *Originibus* (g) Foederis vocem a Fide deriuet: *Foedus est pax*, inquit Episcopus Hispalensis, *quae fit inter dimicantes vel a fide vel a fecialibus id est sacerdotibus dictum. Per ipsos enim fiebant foedera, sicut per seculares bella.* Et hoc voluisse VIRVM MAGNVM in Praefatione ad Commentarium feudalem nullus dubito, nisi malis coniicere, extitisse in Bibliotheca CVIACIANA Librorum Manuscriptorum ditissima Isidorum, eo, quo nos vtimur locupletiorem, quem ICtorum Princeps, de aetate Vocabuli FEODVM, de qua Viri docti adhuc digladiantur, prorsus securus, in isto loco forte secutus est. Non tam benigne cum CVIACIO agit ILL. LVDEWIGIVS, et vbi semel stomachari coepit, in VVLTEIVM quoque et SCHRADERVM inuehitur. *Quod vero*, ait Fridericianae ICtus celeberrimus, (h) *Vdalricus* ZASIVS *huic Etymo suffragetur, quod* VVLTEIVS *L. I. c. 2. n. 3. p. 16.* et SCHRADERVS *Part. II. c. 1. n. 3. volunt, id falsum est, cum is Part. I. n. 2. p. 4.* feudum a fide ducat. Ita tamen, vt etiam a FOEDERE ALLVSIONE vocabuli, *quae multum abest ab Etymologia*, dici possit. Obstupescit ibidem ad hanc desidiam audaciamque, et de nouis legibus in republica literaria rogandis cogitat, *quibus poenae in illum decernerentur, qui Doctorem pro se allegaret, quem non inspexerit, aut, qui* ASSERVERIT CON-

Feudum a Foedere.

(g) L. XVIII. c. I.

(h) de Iur. Clientel. Germ. S. 1. c. 2. §. 5. not. (x)

TRARIVM. De SCHRADERO non valde mouebar, nisi, quod in tanto opere facilem esse lapsum, eoque excusabiliorem existimarem. Et ille omnino asserit, ZASIVM hanc sententiam sequi. Sed de HERMANNO VVLTEIO fateor, vt ICto Eximio, meliora sperabam, et en! ipsa verba: *Quod autem alii vocabulum feudi deducunt a foedere, eo quod Vasallus et Dominus inito inter se foedere ad mutuam fidelitatem praestandam se adstringant* per text. in c. 1. §. fin. de forma fidel. Zasius in Epit. feud. par. 1. n. 2. et in l. 2. in pr. n. 22. D. de Orig. Iur. Sonsbec. part. 2. n. 23. Hannet. 1. de feud. 2. Marin. de feud. tit. 16. n. 2. - - *id longius petitum esse videtur.* Ex quibus satis constat, VVLTEIVM ne verbo quidem hanc sententiam tribuisse ZASIO, et si tribuisset, id non iniuria fecisse ob illum alterum locum *ad l. 2. de Orig. Iur. Tractu. tamen temporis*, inquit Germaniae sua tempestate Decus, *quod omnia variat, clientelarum nomine commutato, feuda a foedere forsitan, curiasque dominicales nominari coeptas.* Simus, quaeso, memores humanae fragilitatis, et vereamur, ne, si illae leges in Comitiis literatis perferri fas esset, nostra etiam nomina in Curiosorum Matricibus inter reos legantur. Parum sane, abest, quin asseram ILL. LVDEWIGIO eo ipso in loco, vbi ferendarum Legum Auctor est, illud ipsum accidisse, quod in aliis, indictis etiam mulctis, punitum vult. PETRVS *tamen* HEIGIVS, inquit post reiectum Cuiacii locum, *cupide hanc originationem arripuit*, Part. 1. Quaest. 2. n. 70. p. 45. *Hoc * mihi * indicio est a foedere nomen feudi deductum mihique non inconcinnum videtur.* An ita? An vero BONVS HEIGIVS potius CONTRARIVM ADSERVIT? Hoc verissimum iudico ex iis, quibus superiora continuat: *Et quia fere omnium nominum plures origines et tanquam natales assignari possunt*, teste Scip. Gentil. de Origin. in princip. EXISTIMO MAGIS *vocabulum* feudi *a* fide *deductum esse, attestantibus ipsis compilatoribus, quibus vt Longobardis in re nota fides debetur maxime.* De SCHRADERO supra diximus, cui eorum, quae de ZA-

SIO

* mihi * in meo Heigio, qui Coloniae 1711. 4. editus, non legitur.

sio minus accurate tradidiſſe viſus, facile gratiam faceremus, ſi oſtendiſſet, quo illa: *Nam Anton. de Prato Veteri vult feudum appellatum a foedere*, et reliqua, auctore dixerit. Saltim eam in variis operis MINCVCCIANI locis, quae eo ſpectare videbantur, fruſtra adhuc dum quaeſiui. IACOBO SPIEGELIO eandem opinionem placuiſſe ex notis ad Guntheri Ligurinum L. II. v. 45. conſtat. Sed cum ſatis hodie conſtet, *Feudum* per *Feodum* recte ſcribi, illud inuerſarum literarum vocabulum *Foedum*, et, quod inde enatum, etymon ad foedas librariorum corruptelas merito ablegamus.

XI. Denique a Fide ſiue Fidelitate Feudum dictum, vulgatisſima eſt opinio, teſtibus velut mole ſua laborans. Dabimus eos, qui nobis ſcribentibus ad manus ſunt, IACOBVM DE ARDIZZONE DE BROILO, (i) MARTINVM DE CARATIS LAVDENSEM, (k) PARIDEM DE PVTEO, (l) ANDREAM DE ISERNIA, (m) MATTHAEVM DE AFFLICTIS, (n) PETRVM RAVENNATEM, (o) IOANNEM ANTONIVM DE S. GEORGIO, (p) VLRICVM ZASIVM, (q) MELCHIOREM CLINGIVM, (r) IOANNEM SCHNEIDEWINVM, (s) MARIVM GIVRBAM, (t) PETRVM NICOLAVM MOZZIVM, (v) NICOLAVM INTRIGLIOLVM, (x) IACOBVM CVIACIVM, (y) IOANNEM MELONIVM, (z) HENRICVM ROSENTHALIVM, (a) LVDOLPHVM SCHRADERVM, (b) GODOFREDVM ANTONIVM, (c) GEORGIVM OBRECHTVM,

Feudum a Fide.

(i) in Summa Feudali c. 4. (k) ad 1. F. 1. n. 13. (l) Tr. de Redintegrat. Feudorum in Prooem. (m) in Comment. ad Vſus Feud. ad II. Feud. 3. p. m. 217. (n) Comment. ad Vſus Feud. II. F. 3. p. m. 274. (o) in Conſuetud. Feud. in Praelud. (p) in Comment. ad Vſ. Feud. in Praelud. col. 16. (q) in Feuda P. 1. n. 2. (r) in Feudor. Conſuetud. p. m. 5. (s) ad Feuda in Praelud. n. 18. (t) in Repetit. de Succeſſ. feud. inter aſcend. et deſcend. maſc. in Praelud. I. n. 3. (u) de Feudis. init. (x) de Feudis Quaeſt. 2. (y) in Prooem. Comment. in Feud. Conſuetud. cui adſtipulatur OCTAVIVS FERRARIVS *in Origin. Linguae Ital.* voce: *Feudo.* (z) in Theſ. Iur. Feud. Ciu. et Crim. Tit. 1. §. 3. (a) in Synopſ. Iur. Feud. c. I. concluſ. 6. (b) in Tractatu Feud. P. II. c. I. n. 3. (c) Diſp. 1. n. 2.

TVM, (d) VALENTINVM ARITHMAEVM, (e) OTTONEM MELANDRVM, (f) HENRICVM ZOESIVM, (g) IOANNEM COPPEN, (h) IOANNEM WVRMSERVM, (i) ARNOLDVM CORVINVM, (k) IOACHIMVM HAGMEIERVM, (l) GEORGIVM SCHVLZIVM, (m) IVSTVM RITTERVM, (n) IOANNEM SCHONERVM, (o) IOANNEM MATTHIAM A SVDETIS, (p) ARNOLDVM DE REYGER, (q) IACOBVM KLEISTIVM, (r) IOANNEM TILENIVM, (s) LIBORIVM HATTYSERVM, (t) IACOBVM RITTERVM, (v) SIGISMVNDVM FINCKELTHAVSIVM, (x) PAVLVM FRANCISCVM ROMANVM, (y) BARTHOLOMAEVM LEONHARDVM SVENDENDÖRFERVM, (z) IOANNEM RVDINGERVM, (a) ERICVM MAVRITIVM, (b) HENRICVM COCCEIVM, (c) IACOBVM FRIDERICVM LVDOVICI, (d) IOANNEM ANDREAM WESTPHALVM, (e) IOANNEM BENEDICTVM SCHARTOV (f) et FRIDERICVM HERMANNVM CRAMERVM. (g) Haec tamen Doctorum spisſiſsima Nubes nihil vetabit, quo minus verum peruideamus, quod eſt, nihil hac decantatisſima origine eſſe falſius. Plerosque in transuerſum rapuit Compilatorum Longobardicorum auctoritas: II. Feud. III. §. 1. verſu: Feminam; *Nulla autem inueſtitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recuſat, cum* A FIDELITATE FEVDVM *dicatur vel a* FIDE. Addidit antiquae opinioni pondus, quod

(d) in Tract. Feud. L. 1. c. 4. n. 6. (e) in Velit. Feud. Differt. III. §. 1.
(f) in Loc. Commun. Feudal. c. 1. (g) de Iur. Feud. prooem.
(h) in Obſeruat. Iur. Feud. l. 2. (i) de Feud. Impropr. Claſſe I. Sect. I. n. 7.
(k) Iur. Feud. tit. 2. (l) Synopſ. Iur. Feud. c. 1. §. 19.
(m) Synopſ. Iur Feud. c. 2. n. 3. (n) Inſtitut. Iur. Feud. Lib. 1. c. 1. §. 1.
(o) Diſput. Feud. L. 1. diſp. 1. §. 8. (p) Diſput. Feud. 1. §. 1.
(q) Diſput. Feud. 1. §. 12. (r) in Concluſ. Feud. proleg.
(s) in Paratit. Inſtit. Feud. L. 1. Tit. 1. (t) in Analyſi Iur. Feud. c. 2.
(v) in Lucubrat. Feud. c. III. §. 1. (x) Diſput. Feud. I. controu. I.
(y) in Exercitat. de Feud. c. 2. (z) in Exercit. Feud. 3. §. 1.
(a) in Methodo Iur. Feud. L. 1. c. 3. §. 8.
(b) in Poſit. Iur. Feud. Controu. Dec. I. §. I.
(c) Hypomnem Feud. Tit. III. §. 1. (d) Diſput. Feud. II. theſ. I.
(e) in Quaeſt. Feudal. Sect. II. c. I. qu. 2. (f) in Medulla Feudali c. 1. §. 1.
(g) in Concluſ. Feudal. concluſ. 6.

quod fides siue fidelitas vasallitica ad essentiam vel substantiam Feudi pertineat. Vltimum colorem errori superinduxit, quod Latinorum fides noua Italicorum Hominum dialecto *la Fede* sonet. At enimuero vt inuerso ordine haec diluamus, quis non videt et a Romanorum *Fide* et ab Italorum *Fede*, *Feudum* vel *Feodum* multum distare, nec rationem in promptu esse, cur Itali *Fedum* suum, vel *Fidum*, si placet, vocem ex vernacula eaque notissima natam apud se corrumpi passi sint. FRANCISCVS HOTTMANVS in Disputatione de Feudis: (h) *Si e latina origine fingere nomen Feudistae voluissent*, *quidni* Fidelium *potius*, *integra prima retenta syllaba*, *aut* Fidelitium, *aut nescio quod eiusmodi confinxissent*. (hh) Absque fide, si rem ipsam inspicias, feudum non est; at fragilis inde est illatio, si Fidei vox non fuisset, nec Feodi vocem exstituram. Sexcenta sunt vocabula, quorum nomina nihil affinitatis habent cum eo, quod essentiam siue substantiam constituit. Denique Iuris Auctoritas in simili argumento prorsus est nulla; ne maximus quidam Principum vlla sua lege aut iussione efficere potest, vt factum infectum sit, vt id quod non fuit, fuerit, vt vox originem non habeat, quam habuit, vt *fides* mater fuerit *feodi*, quae non fuit. Quid adeo dicamus de Compilatoribus Longobardicis, hominibus priuatis, ab illa tempestate, qua *feodum* dici coepit, remotissimis, bonarum literarum historiarum et antiquitatum, maxime externarum, rudibus et ignaris, quibus *Marchia dicitur*, (i) *quia marcha* (k) *vt et plurimum iuxta mare est posita*. Sed peccaremus forte in

 hanc

(h) c. l. p. m. II. (hh) confer ANTON. GOSSELINVM in Historia veterum Gallorum P. III. c. 62. p. 317. (i) II. Feud. X.

(k) vel vt BARTHOLOMAEVS BARATERIVS in suo codice legisse videtur: *Dicitur autem Marchia*, *quasi Mari cara, id est collocata et iuxta mare plerumque posita*, in Libello Feudorum Reformato Tit. II. c. 8. ex quo et ANTONIVM MINCVCCIVM L. I. Tit. II. verbis: *dicitur autem Marchia, quia cara, id est collocata et iuxta mare plerumque posita sit*, supplendum, et ipsos nostros Libros Feudales emendandos esse iudico, multis indiciis pro comperto habens, hos corruptissimos. Confer, si lubet, VOLPHGANGI HVNGERI *Notas in Caroli Bouilli Vocum Gallicanarum Tabulas* E. 3.

hanc literarum lucem, si hae tenebrae nos amplius morarentur. (l) Duo fere secula elapsa sunt, ex quo nascentis Academiae Marpurgensis eximium Decus, IOANNES FERRARIVS MONTANVS verissime scripsit: (m) *Ad fin. c. 1. Per quos fiat inuestitura a* fidelitate, *et per Antonium de Prato veteri a* foedere *appellationem* feudi *duci, est relatum; remotius quidem, quam vt nominis deriuationi respondere videatur: neque magis, ac si* lapidem *ex eo, quia* pedem laedat, *denominare velis.*

Feudum quasi Fuechdom. XII. Parum bene res successit Interpretibus, qui inter fontes peregrinos originem feudi quaesiuerunt; nunc videamus illos, qui in vernaculi sermonis penetralibus eos latere sunt arbitrati, naturali, vt opinamur, via a minus speciosis ad magis probabilia digressuri: Vbi equidem primus omnium nobis occurrit IOANNES GOROPIVS BECANVS Medicus doctissimus, qui in Hermathenis: (n) *Latini*, inquit, *ex Oor aurem fecerunt, et ex aure audio, quasi aurio. Qui igitur aures nostras instruit, et earum vim omnem ad Verbum aeterni patris, quo omnia creata sunt, dirigit, is* Oorfuecht *vocatur, a quo Graeci* Orpheus *fecerunt, diphthongo* VE *transposito in* EV. Fuecht *autem fit a* Vueg, *quod est compono, ordino, accommodo, dispono: sic,* Got falt vuegen *siue* fuegen, *id est, Deus disponat. Hinc* Fuechdom *pro bonis Superioris alicuius Principis dispositioni obnoxiis: e quo Latini* Feudum *fecerunt, mutata diphthongo qua carent, in eam quam habent, solo vocalium ordine mutato.* Ego Viri illius summam eruditionem, magnum, quem ad ista studia, attulit, animum, et optimam de patria bene merendi voluntatem magni facio et laudo, neque tamen non sum persuasus, et haec et alia in isto opere multa allegasse, idem esse, ac refutasse.

XIII.

(l) Affinis videtur sententia eorum, qui a voce latina *fio* feudum deriuarunt. Vide, quae disserit ILL. LVDEWIGIVS de Iure Clientel. German. Sect. I. c. 2. §. 6. not. (d) vere, nisi quod non tam IASON quam potius ANTONIVS DE PRATO VETERI HOSTIENSI hanc sententiam affinxisse videatur.

(m) in Vsus Feudor. L. 1. c. 1. p. m. 26. (n) L. V. p. m. 102.

XIII. BECANI latus claudat NICOLAVS VIGELIVS, qui in Methodo Iuris Feudalis: (o) *Constat*, ait, *officia publica et praefecturas in iure militias appellari, vt supra quoque ostensum. Constat item eiusmodi praefecturas Germanis vocari* Voethey, *quemadmodum et Praefectum* Voet *appellant, haud dubie tracta voce a Graeco verbo* βοηθέω, *quod est adiuuo, succurro, vnde* βοήθεια, *auxilium, praesidium, praefectura seu militia:* βοηθὸς, *adiutor, cuius saepius fit mentio* Nouella 8. Graeca. *Sunt enim istiusmodi militiae, seu praefecturae tam armatae quam togatae adiumenta et auxilia laborantis et administrantis domini, in quibus constituti praefecti ad vocem domini succurrunt, eiusque mandatum in administrationibus exequuntur. Quod igitur Graecis est* βοήθεια, *Germanis est* Voethey, *quemadmodum populari lingua appellatur, nam scribae* e *seu* η *in* g *suo more solent mutare. Postquam ergo Imperium a Graecis ad Germanos est translatum, quod factum aiunt, anno a Natiuitate Christi octingentesimo primo, et ita in Germanorum Imperatorum potestatem militiae seu praefecturae Imperii peruenerunt, ab iis distributae et recognitae fuerunt: maluerunt Germani haud dubie istiusmodi militias sua lingua vel potius Graeca,* Voethey *appellare, quam militiae vocabulo, quod propter Imperium Graecorum in vsu desierat, vti. Hac ratione factum est, vt Itali et alii Imperio subiecti, militiasque a Germanis Imperatoribus recognoscentes, eorum linguam in denominandis iis fuerint secuti, sed deprauate, pro* Voethey, *Feudum appellantes et pro* Voet *Feudatarium seu Vasallum.* Nec huius laboriosissimi ICti conatus plane displicent, licet totus ille locus παρόραμασι criticis et historicis scateat. Fons erroris est, quod Feuda a veterum militiis exorta credat, quod commentum suo loco examinabimus. Riuuli errorum inde ducti sunt: *illas militias dictas esse* βοηθείας, cuius rei idoneum auctorem non habet, (nam βοηθὸς τȣ̃ πριμικηρίȣ τῶν λαμπροτάτων τριβούνων νοταρίων, siue *Adiutor Primicerii clarissimorum Tribunorum Notariorum*, cuius tam multa mentio in Nouella VIII.

Feudum quasi Voethey.

(o) c. II. §. 2. p. m. 49.

VIII. huc nihil facit.) (p) *βοηθείας illas seu militias cum Imperio a Graecis ad Romanos peruenisse*, cum tamen satis constet inter Historiarum peritos, decantata illa Imperii Romani in Carolum M. translatione maximum illum Regem ne vna quidem gleba locupletiorem factum: *Germanis prae militiarum nomine Graecum placuisse, indeque suam Vogteiam, tandemque Feudum effinxisse*, mira est metamorphosis, eaque falsissima, quod illa vox neque Graeca neque Germanica sit, sed Latina: *Aduocatus* est Patronus, Tutor, Defensor, Graecis Παράκλητος, quo nomine Ecclesiastici homines, vel ortu, vel doctrina et sermone Latini eos cohonestabant, quorum tutelae, fidei atque clientelae se suaque commiserant. Homines Germani harum literarum expertes aphaeresi inter pronunciandum frequentissima *Aduocatum* in Vocatum, Phogat, Voget, Vojet, Voigt, Vogt, Vaugt et Fauth commutarunt. (q) *Charta Alamannica* XXXII. Seculi IX. (r) *Recepit pretium venditor ab emtore cum* Vocato *suo Honorato.* NOTKERVS LABEO Psalm XXXIV. v. I.

(p) v. GVIDVM PANCIROLVM in Notitia Imperii Orientis c. 92.

(q) ILL. LVDWIGIVS de Iure Clientel. German. Sect. I. c. II. §. 6. not. (e) in fine. *Vetustissimo*, inquit, *tempore* FAVTH *dictum fuisse, qui iam nunc* VOGT *audit, cum ex vulgi sermone in quibusdam prouinciis bodieque vsitato patet, tum ex Diplomute Ottonis I. quod exhibet* MAGERVS *de Aduocatia c. 2. n. 243. p. 63. Quare opus non est, vt verbum vel ab ebraeo vel graeco vel latinorum aduocatia repetamus.* Cum haec primum legerem, non equidem mente comprehendere poteram, qui ex vulgi sermone hodie vsitato pateat, antiquissimo tempore eum, qui nunc *Vogt* dicitur, *Fauth* dictum: sed hanc dubitationem mihi excutiebat voluptas, quam persentiscebam mihi allatum iri ex lectione diplomatis Ottoniani Germanici (ita enim verba acceperam, vt accipi possunt) a MAGERO exhibiti. Sed o! fallaces hominum spes! Exhibebat MAGERI locus Diploma, etiam Germanicum, sed recentissimi idiomatis, immo, vt ipse MAGERVS citato loco clare ait, a CHRISTOPHORO LEHMANNO *Chronici Spirensis Libro IV. c. 3.* in Germanicum translatum. Quod ipsum, cum euoluto LEHMANNO, ita prorsus se habere comperissem, opus esse credidi, me nihil a Latina origine dudum probata dimoueri.

(r) apud GOLDASTVM Alamann. Rer. Script. T. II. p. 35.

v. 1. (s) *Vuis min phogat uuider alle: sis defensor meus contra omnes.* REX TYROLIS in Paraenesi ad Fridebrandum Filium: (t) *Vnd Romsch Vogt von Vursten Kur*, ad quem locum MELCHIOR GOLDASTVS in notis veterum Poetarum Vernaculorum fragmenta plena manu congessit. Adde DVCANGIVM in Glossario voce: *Vogtmann et Voietrecht*, IO. SCHILTERVM in Glossario Teutonico voce: *Voget* et BVRCARDVM GOTTHELFSTRVVIVM in praefat. ad nouissimam Mageri editionem, initio.

§. XIV. Non vni doctorum Virorum probata sententia est, vocem Feudi a *Faida*, quod inimicitiam hostilitatemque denotat, eine Fehde, descendere. Aetate reliquos, quos nos equidem inspeximus, vincit laudatus IOANNES FERRARIVS MONTANVS, (u) qui, *Vnde etiam*, inquit, *Feudi Appellationem, vocem nuperam, et ab ipsis barbaris, forte Longobardis - - - oriundam, argumenta sunt non tam leuia, nimirum, qui Faidam pro inimicitia hostilitateque vsurpant, vt in Legibus Longobardicis est videre praesertim in Constit. I. de Faidosis, et in Constitut. Si quis liberum hominem, de homicidiis liberorum hominum. Cuius amouendae gratia Vasallus dominum iuuare debet, Faidamque leuare, quod et Iacobus Columbinus c. 1. de iis, qui feudum dare possunt, subindicat.* In eandem originem consensere NARDVS LIPARVLVS in Annotationibus ad Andream Iserniensem (x), FRANCISCVS HOTMANVS in Commentario Verborum Iuris voce: *Feudum* (xx) IOANNES GOEDDAEVS in Medulla Feudali (y) IEREMIAS REVSNERVS in Methodo Iuris Feudalis (z), GERHARDVS FELTMANNVS de Feudis (a) et imprimis GOTTEFRIDVS WENDELINVS in Glossario Salico, voce: *Leode*. Adscribamus huius verba: *Etymon vocis descendit ex eadem analogia, qua* Faida *format* Feodum Feudum a Faida.

(s) in IO. SCHILTERI. Thesauro Antiqu. Teuton. T. I.

(t) ibid. T. II. (v) In vsus Feudorum L. I. c. I. p. m. 25. (x) p. m. 217.

(xx) Perperam notatus ab ANTONIO GOSSELINO in Historia Veterum Gallorum P. III. c. 62 p. 316.

(y) Disp. I. §. XI. (z) Disp. I. thes. 35. (a) C. I. §. 2. n. 3.

dum *et* Feudum: *sic enim ex* Liede Leode *et* Leodis. *Et* Liden *quidem propria est popelli vox sicut dixi et mox dicetur in vocabulo* LIDVS. Vee *quoque proprie est* Odium, Veede, *German.* Faide Hostilitas, Viantscap, Faintschaft, Inimicitia. Feodum *ergo siue et* Feudum, *merces hostici*, hostimentum, stipendium seu beneficium militis; Leode *porro* peculium plebei. Singularis est opinio Consultissimi TRIERI in Animaduersionibus ad Strykii Examen: (b) *Antiqui Germani vocabulum hoc pronunciarunt* Feode, *vti in veteribus Diplomatibus et adhuc hodie in lingua Gallica scribitur.* Fede *significat bellum, cuius loco etiam* Fee *dixerunt, vti adhuc hodie Germani inferiores loco* Leder *dicunt* Leer, *et vti Feudum Ligium a* Ledig *appellatur.* Ode *denotat bonum seu possessionem, vti ex vocabulo* Kleinod *aliisque constat.* Nos equidem FERRARIO largimur *Faidam* inimicitiam denotare, immo Faidae causa primum feuda orta; superest tamen inter *Faidam* et *Feodum* insigne discrimen, quod si quis putet nullum, in aliud incommodum incidit, bellum et rem belli causa datam vno nomine venire, quae pro illorum temporum ratione *faidodia* vel *faidalitia* dici debuissent. Iactata a WENDELINO analogia nondum in aprico est, magis miramur et hunc ipsum WENDELINVM, mercedem hostici, stipendium seu beneficium militis animo voluentem, et TRIERVM feuda inter Oda referentem, viam rectam ingressos, ad metam non peruenisse.

Feudum a Voeden.

XV. Haerent ad Riuulum, fontem tamen mentientem, et omnino prope ab ortu absunt, qui a Voeden siue Föden vocem feudi profectam existimant, quod Belgis est *alere*, vnde iisdem *Voeder* pabulum, *Voedsel* cibus, *Voedster* nutrix, et similia descendunt. Nos dicimus *Füttern*, *Futter*, vnde mediae aetatis vox barbara *Fodrum*. Dabimus huic sententiae Patronos OBERTVM GIPHANIVM in Tractatu de Iure Feudorum (c) IOANNEM GRYPHIANDRVM de Weichbildis Saxonicis (d), GEORGIVM STIERNHIELMIVM in Glossario Vlphila-Gothico, voce: *Fodan.* IOANNEM

(b) c. II. animadu. 16. (c) c. II. n. 27. (d) c. 49. n. 8.

NEM FRIDERICVM RHETIVM in Commentatione ad Ius Feudale Commune (e) et GEORGIVM BEYERVM in praefat. ad delineat. Iur. Feud. GIPHANIVS et GRYPHIANDER ad *Fodra* prouocant, STIERNHIELMIO Feudum sunt bona data **till fôdûm**, RHETIO et BEYERO *Feudum* est **Fôdethûm**. Sed vltimam syllabam vocis: *Feudum* latinae originis esse, satis monstrat, quod per casus varietur. Tò **Fôden** autem non rectius conuellemus, quam commonstrando Fontem, ex quo et vox *Voeden* et vocabulum *Faida* et infinita alia, imprimis autem FEODI verbum profluxere.

XVI. Hic non est alius, quam Vox antiquissima, Vox, ni fallor, primigenia, FEE Pecus, quae, vt simplicissima, vt quotidiana ab Origine Gentis ad nostram hanc aetatem perdurauit, Belgis VEE, nostra Dialecto *Vieh.* IVSTVS LIPSIVS in Glossis: *Fiu* Pecora, nos *Vee.* Hoc vocabulum mox ampliato sensu, opes, diuitias, denotauit, facillima translatione, quod in gentium primordiis diuitiae in armentis pecudibusque consistebant. Praeclare TACITVS de Maioribus nostris: (f) *Ne armentis quidem, suus honor, aut gloria frontis. Numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt.* VLPHILAS in Euangeliis Gothicis (g) de Iuuene diuite, qui ob imperatam a sanctissimo Seruatore paupertatem tristis discedebat: *Vas habands Faihu manag:* ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά, vt LVTHERVS noster vertit: *Denn er hatte viel Güter.* V. THOMAM MARESCHALLVM in Obseruationibus ad hunc locum, FRANCISCVM IVNIVM in Glossario Gothico, voce: *Faihu*, et GEORGIVM STIERNHIELMIVM in Glossario Vlphila-Gothico, voce eadem. Iam constat, nondum inuenta pecunia signata, permutationem fuisse συνάλλαγμα antiquissimum, non modo id genus, qua rem pro re, corpus pro corpore damus, cui successit emtio venditio, sed alterum quoque, qua do vt facias, quam locatio conductio excepit. Vin Exemplum? Sacrae Literae illud nobis suppeditant, licet minus proban-

Feudum a voce primigenia Fee.

 dum.

(e) Libro I. Tit. I. n. 14. (f) de Moribus Germanorum c. 5.
(g) Marci X. 22.

dum. Ex Genefeos XXXVIII. v. 17. conftat, Iudam Iacobi filium ducem gregis, Caprum, Thamari Nurui fuae, fed quam Meretricem credebat, pro concubitu effe pollicitum. De Germanis ILLE, cui vni Romanorum dignae grates a Gente noftra perfolui non poffunt, poft verba fupra adfcripta: *Argentum et Aurum propitii, an irati Dii negauerint dubito - - proximi ob vfum commerciorum aurum et argentum in pretio habent, formasque quasdam noftrae pecuniae agnofcunt, atque eligunt: interiores fimplicius et antiquius permutatione mercium vtuntur.* An vero quis amplius dubitauerit, num, in magna vocum apud Veteres paupertate, *Faihu* Gothorum, *Fio* vel *Fiu* Francorum, *Feoh* Anglo-Saxonum, *Fe* Islandorum etiam *pretium*, *mercedem*, *ftipendium* denotauerit, cum inter Anglos ille fignificatus in hunc vsque diem perduret, immo apud eosdem pecunia fignata, pretii mercedisue eo aptius conftituendae caufa reperta, idem nominis acceperit. GVILIELMVS SOMNERVS in Dictionario Saxonico-Latino-Anglico voce: Feo: *Feo*, *Feoh* Pecunia, Nummus, *Money*, item pretium, ftipendium, merces. *Valve, Price, Hire, Reward, Stipend, Fee*. STEPHANVS SKINNERVS in Etymologico Anglicano, voce: Fee: *Fee* ab A. S. *Fea*, *Feo*, *Feoh*. It. *Fio*, Pecunia, Merces, Praemium omnia ab A. S. altero *Feoh*, Danice: *Fee*, Belgice: *Vee*, Teutonice: Vieh, Pecus, *quia olim fola praemia et munera erant pecora.* GVDMVNDVS ANDREAE in Lexico Islandico voce: Fe: Fe, *hodie*, Fie, *Pecus*, *Pecunia.* GVILIELMVS NICOLSONVS in Epiftola ad Dau. Wilkinfium p. 4. *Vox* Feo *fiue* Feoh *faepius nummos vel ftipendium fonat, ficut et hodierna* Fee. Nonne etiam Latini a Pecude Pecuniam, et Pecuniam omne, quod Pecunia parari poteft, dixere? VLPIANVS in l. 178. D. de V. S. *Pecuniae verbum non folum numeratam pecuniam complectitur: verum omnem omnino pecuniam, hoc eft, omnia corpora: nam corpora quoque pecuniae appellatione contineri, nemo eft qui ambiget.* HERMOGENIANVS in L. 222. D. eod. *Pecuniae nomine non folum numerata Pecunia, fed omnes res, tam foli, quam mobilia, et tam corpora quam iura continentur.*

tur. Est itaque haec opinio omnino probatissima, a primo etiam auctore, magno GROTIO, nobis commendabilis, qui in Prolegomenis ad Historiam Gothicam: (h) OT, inquit, *Possessio est etiam priscis Saxonibus, vnde* Feot *siue* Feodum *fiduciaria fructuum possessio*. Obscurius fateor, quod ad postrema verba attinet. Sed per fiduciam dare, est dare, non translato simul pleno perpetuoque dominio, quod et tunc fit, quando ad capiendos fructus fundi possessio transfertur. Sed idem clarius alio loco, in Florum sparsione ad Ius Iustinianeum: (i) *Origo vocis est* Fe-od *id est, stipendii possessio*.

Immo a Fee et Od.

XVII. Post GROTIVM eandem sententiam amplexi sunt inter doctos Viros et multi et magni, (k) sed vti est mens humana ad dissentiendum maxime procliuis, non absque nouo discrimine. Sunt qui Vocem hanc dicunt esse compositam ex *Fe* et *Od*, quod posterius vocabulum Fundum, Possessionem, rem soli (kk) denotare fere constat. GVILIEL-

(h) p. 23. (i) Edit. nouiss. cui PRAESES praefatus est p. 440.

(k) Singularis est sententia CL. WACHTERI in Glossario Germanico voce: *Vieh*, nostrae tamen affinis: *Atque hinc iam patet, quid sit id, quod vulgo* Feudum *vocatur, nempe nihil aliud quam* peculium. *Componitur enim, vt mihi quidem videtur, a* feu, *substantia, possessio, et terminatione* dum, *quae possessioni iurisdictionem adiicit, vt diximus in obseruationibus ad suffixum* dum *primae significationis;* quam adduxisse opus erat, ne Virum de nostra Lingua iam praeclare meritum per obliuionem neglexisse videamur. Sed cum ille in Magno opere a multis annis versetur, nihil adhuc monendo φροντίδας forte ἀντί-ῤας expectamus.

(kk) Sunt qui quamcunque proprietatem *Od* appellatam credunt, et eo nomine ad vocem *Kleinod* prouocant. Inter eos B. GVNDLINGIVS in Gundling. P. I. n. 1. p. 22. Od *heisset ein Eigenthum*, Kleinod *ein klein Vermœgen*. Ego subsisto, donec apertius de latissimo hoc significatu mihi constabit, idque vel ideo, quod in antiquis *Rhytmis Germanicis MSCtis* de Dieterici Veronensis rebus gestis olim haec legerim annotauerimque:

Manck rother Mund sus Wort do ret
Manck augen plick wurd do verzet
Manck bentlein weis getrugte
Manck KLEINHEIT *eins dem andern schenckt*

LIELMVS SOMNERVS in Dictionario Anglo-Saxonico: O *odene* Area, *a floore, a court, a yard, a ground plot. on odene cylne macian* h. e. in area fornacem facere. Superest in *Einöde*, eiusmodi loco in quo quis solus est, in *öde, veröden*, efficere, vt praeter spatium locumque nihil adsit, in *Friderichsöde*, quae munita Iutiae Vrbs est, in Upsala ödhe quae IO. O. STIERNHÖÖKIO (l) sunt possessiones Vpsalenses vel possessiones Regum Vpsaliensium, et in aliis. Sunt, qui eam simplicem esse credunt, aut saltem frequentissima particula, *hod, had, heit* in fine exornatam. Priorem sententiam amplexus HVGO GROTIVS, vt diximus, cui adstipulantur IOANNES LOCCENIVS in Explicatione vocum Feudalium, (m) LVDOVICVS CANTARELLVS FABER, (n) IO. O. STIERNHÖÖKIVS de Iure Sueonum et Gothorum vetusto, (o) HVLDERICVS EYBENIVS Dissertatione I. de Feudo solari, (p) IOANNES NICOLAVS HERTIVS de Feudis oblatis, (q) IOANNES SCHILTERVS cum in Commentario ad Ius Feud. Alamann. (r) tum in Institution. Iur. Feud. (s) IOANNES GVILIELMVS ITTERVS de Feudis Impe-

Von lieb ward manches heimlich krenckt
Manck Heldes Kny sich pugte

et versus finem Poematis

Die purgern fein und auch subptil
Die schenckten der Preut do KLEINHEIT *vil*
Und beten mit ir hochzeite,

et reliqua, ex quibus versiculis potius probaueris, illud *Od* in Kleinodiis esse celebratissimum suffixum *heit, bad, hod*, de quo mox plura occurrent.

(l) de Iure Sueonum vetusto L. II. c. 6. p. m. 273.

(m) Subiuncta Antiquitat. Sueo-Gothicis p. 164.

(n) Traité des Fiefs et de leur Origine L. 1. c. 3. p. 11.

(o) L. II. c. 6. p. m. 277. (p) inter opera p. 643.

(q) P. I. §. 2. (r) ad Rubr. §. 7.

(s) c. 1. §. 1. qui tamen sibi ipsi contrariari videtur, cum in Exercit. ad D. IV. §. 23. not. (c) p. 55, a. scribat: Est enim compositum ex *oed*, bonum, et verbo: *faben, emphaben*, capta ex beneficio Regis. Atque iterum Exercit. XVI. §. 84. Ita *Feudum Feod* dicebatur omne id, quod ab alio recognoscebatur et accipiebatur, *od* enim est bonum, *gut*, *Feh*

Imperii, (t) BVRCARDVS GOTTHELF STRVVIVS in Historia Iuris (u) et in Iurisprudentia Feudali, (x) Nomina, ni fallor, quantiuis ponderis. Sed in aduersis castris agmen ducit HENRICVS SPELMANNVS in Glossario Archaeologico hunc in modum verba faciens: (y) *Proprie autem* salarium, stipendium, *per translationem* praedium, *quo ex beneficio domini sed et stipendii loco vassallus gaudet, ideoque hinc* stipendium, *illinc* beneficium *appellatum.* Feo *enim* Feh et Feoh *Sax.* (Anglis hodie Fee) *merces, stipendium: atque inde, (ut mihi videtur)* feodum h. *Saxonico euphoniae gratia in* d. *mutato: ni placet* had *vel* hod *adiicere, quod Saxonice etiam* classem, statum *et* ordinem *significat; vt perinde dicatur* feodum *quasi* Feohad *vel* Feohod, *id quod statu vel ordine stipendiario possidetur.* Cum Viro procul dubio in his literis magno alii faciunt, sane non minus eximii, GVILIELMVS SOMNERVS cum in Dictionario Saxonico-Latino-Anglico, tum etiam in Glossario Scriptoribus Anglicanis a Rogerio Twysdenio editis subiuncto, voce: Feodum, MARCVS ANTONIVS DOMINICVS de Praerogatiua Allodiorum, (z) STEPHANVS SKINNERVS in Etymologico Linguae Anglicanae voce Fee, ILL. LVDWIGIVS de Iure Clientelari Germanorum, (a) Reuerendissimus NICOLSONVS in Epistola ad Wilkinsium, (b) et Consultissimus FLEISCHERVS in Institutionibus Iuris Feudalis. (c)

Diuersae sententiae Auctores, qui vel a Fee simpliciter deriuant, vel ex Fee et hod compositum credunt.

XVIII. Hi doctissimi Viri plerique omnes ita suam dixere sententiam, vt, cur alteram alteri praeferendam cre-

Quibus respondetur.

Feh videri posset esse pro *Fah*, id est, *Fahen, Empfahen.* Sed salua res est per ea, quae in Dissertatione de natura successionis Feudalis c. 1. §. 3. leguntur: Feod, foedum, feudum, quod alludendo dici posset quasi *Fagut* - - sed magis est vt natales huius vocabuli a Saxonum Veterum Vocabulo arcessamus FEE κ. τ. λ.

(t) c. 2. §. 9. (v) c. VIII. §. 2. no ††††† (x) c. 1. §. 7.

(y) voce: Feodum p. 215. (z) c. 16. §. 7.

(a) Sect. I. c. II. §. 3. lit. (g) (b) p. m. 4.

(c) c. I. §. 39.

credant, vix ac ne vix quidem indicauerint, si discesseris ab ILL. LVDEWIGIO, qui in saepius allegato Libro *de Iure Clientelari Germanorum* plures attulit caussas, cur nec prima, quam appellat, opinio (de Fe-od) nec altera quidem (de Feoh-hod) probabilis videatur. Licebit nobis pro libertate, qua Respublica literaria fruitur, respondere ad istas caussas, si prius nonnihil monuerimus, cur illud *Feod*, etiam τῷ *Feohod* praeferamus. Primum quod amice conspirent *Fe-od*, *All-od*, et *Le-od*, ad quae tria fundorum et possessionum genera Teutonicarum gentium res soli referendas esse, alio forte loco explicatum dabimus. Deinde cum *Fee* etiam ante feuda introducta *stipendium*, *salarium*, *mercedem* denotauerit, quae fere in rebus mobilibus consistebant, conuenientissimum fuit, vt nouum illud stipendii, salarii, mercedis genus in fundis constitutum, *Odi* nomine adiecto, a reliquis discerneretur. Denique mouet, in antiquis monumentis nullum τȣ̃ *Feohodi* vestigium apparere, ex quo constet, vocem *Feodi* inde fuisse per contractionem enatam, quod posterius, vti fieri potuisse non negamus, ita, donec factum esse clarius probetur, in illa τȣ̃ *Feodi* simplicitate merito persistimus. Sed nunc audiamus ILL. LVDEWIGIVM: *Superius dixi, Pomeraniae incolas Feod verbo hodieque denotare cuiusuis generis alimenta*, einen Unterhalt; *quod etiam olim quibusuis Germaniae populis in vsu fuit, quod ostendimus ibidem.* Non negauerimus vsum vocis Feod Pomeranicum, quamuis, qui tricari velit, asserere possit, illud a Venedis esse, vel a voce Voeden descendere. Saltim a more praesentis aeui ad vetustissimi temporis vsum argumentum duci non posse, satis constat, quanquam, si de antiquis aliunde constat, recentia insigne pondus addant. Germanas autem gentes quasuis feod alimenta appellasse, ex allegato loco perspicere nondum potuimus. *Vt adeo opus non sit*, pergit Vir Illustris, *vlla plurium verborum compositione, imprimis cum quo vetustior et magis barbara, eo etiam lingua simplicior sit et minus composita.* Verissima equidem sunt postrema, sed ideo nemo negauerit ea tempestate, in

qua

qua feuda reperta sunt, infinita in Germanicarum gentium Dialectis extitisse composita, qua tribu quis mouebit τὸ *Feod*, sua natura longius, quam vt primigenium credas. *Deinde*, addit Illustris Aduersarius, *si* od *peculiaris vox fuit, difficulter factum esset, vt in* ud *degenerasset.* Immo vero facillime, et prorsus persuasum habeo, τὸ EO et τὸ EV inter Francos fuisse cognatissimi soni. Testes omni exceptione maiores excito *Praeceptum* CHILDEBERTI de A. 707. quod ex Archiuo Dionysiano IOANNES MABILLONIVS (d) edidit, verbis: *vt neque vos neque iuniores* SEO *successores vestri, nec quislibet de iudiciaria potestate*, et reliqua, et Eiusdem CHILDEBERTI *Placitum* de A. 709. ab eodem MABILLONIO (e) ex Autographo Dionysiano editum, verbis: *tam de alode, quam de comparatho*, SEO *de qualibet attractho ibidem sua fuit possessio vel domenacio*, vt notissimam vocem *Leodes* et *Leudes* nunc taceamus. *Contra facilius longe fieri potuit*, verba iterum sunt eius, cui contradicimus, *vt* H *quod elementum vix literae nomen meretur, idque in fine positum cum* D. *commutaretur*, Feoh Feodum: *non* Feohum *scribendi: vti ex* gehen, *olim* gahen, gadum *formauit barbara aetas.* Fieri potuisse, largimur; an facilius, dubitamus; factum esse, vt probetur, expectamus. Vt ne illud *gadum* nobis obsit, fatemur, aut ignorare nos vocem, aut eandem esse cum DVCANGII *Gadio*, quod Vadum, Gallice: *Gué*, explicat. Vt autem taceamus, plures fore, qui Latinam originem tuebuntur, magis probabili ratione a voce: *Waten*, quod a *Water*, *Waffer* descendit, *Waten im Waffer gehen*, cuius originis fortissimum argumentum τὸ *Gu* in Gallica Voce superstes. *Praeterea*, subiicit Vir doctissimus, *qui* Feuum *feuda quondam dicta esse credas: si* od *pars eius potissima.* Non potissima, inquam, sed altera. Iam vero quis omnium per tot secula in tot gentibus factarum mutationum rationes reddet? quis omnes Apocopes, Synaereses, Metatheses, Antitheses enarrabit. Tentabimus tamen: *Fe-od* a Francis pronunciatum *Fe-ud:* demonstrauimus id supra ex chartis Merouin-

E

(d) L. VI. n. 26. (e) Ibid. n. 27.

rouingicis. D per Apocopen omnibus gentibus frequentissimam periit. Habes *Fe-u* (ee) cui si latinam terminationem addas, *Feuum* tibi nascitur. Iam per Epenthesin τῶ E praefige cognatissimum I habes *Fiev* et hodiernum *Fief.* Nunc audire mallem, num Illustris Fridericianae ICtus ex *Feod Fevum* et *Fief* planiori via conficiat. *Ad extremum,* pergit, od SCHILTERO *fundus est, aut alia res corporalis: Sed* Feoda *aeque in Iuribus constitui idque tempore antiquissimo.* Pace eruditissimi viri dixerim, hoc ipsum gratis asseri, immo antiquissimo tempore et in prima origine feuda non fuisse nisi fundos. Non patitur hic locus tam amplam disputationem, et sufficiet, ostendisse, a SCHILTERO allegatum ex legibus MALCOLMI II. Regis Scotiae apud SKENAEVM testimonium nihil nostrae sententiae officere. Non vtar auctoritate HENRICI SPELMANNI, qui istas MALCOLMI Leges eius antiquitatis non esse statuit, quam prae se ferunt. Id monebo, etiam MALCOLMI R. aetatem a prima feudorum

(ee) MELCH. GOLDASTVS ad Cunradi Fabariensis Casus in Script. Rer. Alamann. T. I. pag. edit. nouiss. 138. b. Vetus Glossar. Franco-Latin. Fou, Feodum. *Mira scriptura si vera, et non aberrauit Glossator, qui in quarta vocali reposuit quod in secunda erat collocandum, vt antiqui dixerunt* Feu, *quod nostri Franci* Fieu. Quod *Goldastus* hic asserit, antiquos dixisse *Feu*, vt firmemus idoneo auctore, en! chartam Seculi XIII. quam Domnus GVIDO ALEXIVS LOBINEAV Historiae Britannicae Tom. II. col. 395. edidit: *A tous ceox,* (si placet, et ad hanc voculam, quam Galli hodie scribunt *ceux*, animum aduertere, firmabit ea, quae de vocalis quartae et quintae commutatione supra sunt disputata) *qui verront ces lettres Raol Seignor de Fougieres, Pierre de Chemillé Seignor de Brochessac et Alienor sa femme et Ollivier de Montauban et Joanne sa femme salus en notre Seignor. Sachiez que comme contens fut entre nous pardevant dicts sur le* FIEF DE PORREHOIT *de l'escheite Monseignour Eun fils le Comte - - et est tenu ici Raol de Fougieres a ly faire attorner ceux, qui estoient hommes Monseignor Pierre de Chemillé* DE FEU DE PORREHOIT *par devant de cely* FEU, *qui est* EN TRINITE. *Et s'il y avoit aucun des hommes, qui ne fussent pas hommes a cil Pierre de Chemillé par devant de* FEU DE PORREHOIT, *icil Raoul de Fougieres doit faire son pouvoir de les faire tenir de cil Pierre de Chemillé, etc. etc.*

rum origine multis seculis abesse. Vnde nihil vetat, *Feudum* prima origine fuisse *Fe-od*, fundum stipendiarium, licet postea et vel MALCOLMI aeuo idem *Feodi* vocabulum quamcunque mercedem, quodcunque salarium denotarit. Iucundus est locus ex BERNHARDI Monachi Consuetudinibus Cluniacensibus apud DVCANGIVM, de Custode Vini: *Et inde habet in* Feodum *Vinum, quod per totum annum de Vasis Vineariis destillat.* Nisi forte in ea versetur sententia Vir Illustris, Vocem Feodi eo demum tempore fuisse etiam in vernacula auditam et natam, quo in Latinis monumentis vsurpari coepit, vt sequentem in modum collegerit: Post annum demum millesimum Vox Feodi in Diplomatibus reperitur, circa illud itaque tempus eadem primum exorta, et eadem tempestate MALCOLMVS R. res fungibiles feoda appellauit, ex quo sponte sequitur, non *oda* fuisse *Feoda* sed *Feoha*, stipendia et salaria quaecunque. At enim vero, primum scire mallem, cur MALCOLMVS R. *Feohi* vocem nudius tertius natam per *Feodum* scripserit; porro, si id falsum, quod SCHILTERO placuit, *vulgo ante annum millesimum obtinuisse*, qua voce vernacula feoda interea temporis fuerint appellata? an Latino? an potius omni nomine caruerint? tertio loco mihi verior videtur eorum sententia, qui *Feodi* vocabulum ante annum millesimum in Diplomatibus occurrere statuunt.

XIX. Sat equidem animose GVILIELMVS SOMNERVS in Glossario Scriptoribus Twysdenianis adiecto: *Feudi vocem vel nomen in nullo, mihi saltem non suspectae fidei monumento, ante annum Christi millesimum reperiendum commonui. Prorsus assentior,* inquit Illustris LVDEWIGIVS (f) *Ipse enim mille diplomata, immo clientelares literas cuiuscunque fere generis perlegi; neque tamen verbi alius in hoc argumen-*

(f) de Iur. Clientel. German. Sect. I. c. II. §. 4. not. k. vbi tamen de ipso textu obseruandum, Ill. Auctorem forte praeter mentem scripsisse, *ante decimum seculum idem in latinis libellis non adhibitum fuisse; ante vndecimum seculum*, scribere fuit animus, cum alias et a SOMNERO dissentiret, et nos haberemus, quod volumus.

gumento memini, quam beneficii, stipendii, clientelae. Mihi fateor haec vox semper visa est periculosa; *saltim non suspectae fidei monumentis;* quod norim, ita cum natura ingenii humani comparatum esse, vt, vbi semel animum aliqua obsedit opinio, illa haud facile se expugnari patiatur. Initio vnus vel alter notariorum, et parce quidem voce noua et barbara vsus est, nonnullae eiusmodi tabulae ad nostram peruenere aetatem, hae SOMNERO et Asseclis suspectae, vel quod paucae, cum tamen omnia initia sint tenuia, vel ob hoc ipsum, quod *Feodi* aut *Feui* aut similem vocem contineant, nihil memores, omnem Virum praesumi bonum, omne Instrumentum genuinum, notissima' Iuris regula. Nec magis placent illa: *Mille legi Diplomata.* Quidsi in millesimo et vno Feodi vox legeretur. Eos, qui cauti esse cupiunt, illustri monebo exemplo. Vir citra dubium magnus IOANNES NICOLAVS HERTIVS in dissertatione de Feudis oblatis (g) vbi de Ritu Saxonico, quo oblaturi Allodia, eadem in proprietatem dare, et in manus futuri domini directi per annum et diem relinquere tenentur, ex Speculo nostro Saxonico differit, *Certe*, inquit, EX INNVMERIS, QVAS VIDIMVS, CHARTIS *nunquam obseruare licuit, post oblationem intra annum et diem possessionem mansisse apud donatarium siue dominum, vt deinceps offerentem inuestiret.* Sed en! quod HERTIO in innumeris chartis reperire datum non est, id Vir de nostra etiam Feudali Iuris prudentia praeclarissime meritus IOANNES IOACHIMVS MVLLERVS (h) ex vno Tabulario tribus chartis illustrauit firmauitque.

XX. Vt autem hanc quaestionem eo maiori in luce ponamus, diplomata et chartas, quae frustra et perperam allegantur, ab iis, quae nostra opinione proba sunt et genuina, studiose separabimus. Inter reiicula aut saltim dubia itaque referimus: I. *Chartam Pippini Regis, qua certa Priuilegia concessit Habitatoribus Figiaci* de A. 755. (i) II. *Testamentum Abbonis*

(g) P. II. §. 12. (h) Im Entdeckten Staats-Cabinet III. Eröfn. II. Cap.

(i) in LVCAE D'ACHERY Veterum scriptorum spicilegio editionis primae

Abbonis Patricii pro Coenobio Noualicensi per Carolum M. renouatum apud MABILLONIVM. (k) III. *Constitutiones Feudales Domini Lotharii Imperatoris, quas ante Ianuam B. Petri in ciuitate Romana condidit obseruandas.* (l) IV. *Constitutionem Lotharii I. Imperatoris* de A. 846. *qua Bobiensem Comitatum cum mero ac mixto Imperio confirmat Monasterio S. Columbani Bobiensi.* (m) V. *Constitutionem Caroli III. dicti Crassi Imperatoris* de A. 883. *qua Comitatum Bobiensem cum omni Iurisdictione Priuilegiis ac Bonis Abbati ac Monasterio Bobiensi confirmat.* (n) VI. *Constitutionem Caroli III. Crassi Imperatoris de Expeditione Romana.* (o) VII. *Aelfridi Anglosaxonum Regis, Anno DCCCCI. demortui Testamentum,* nouissime a IOANNE SPELMANNO (p) editum. VIII. *Transactionem inter Episcopum Ecclesiamque Tergestinam ac Commune ac populum Tergestinum* de A. 949. (q) IX. *Ottonis I. Magni Imperatoris Augusti Constitutionem* de A. 948. X. *Ottonis II. Imper. Aug. Constitutionem* de A. 978. vtramque apud GOLDASTVM in Constitutionibus Imperialibus. (r) Horum Monumentorum primum mihi indicauit DVCANGIVS, addito elogio, falsitatis notas illud prae se ferre, quod nemo antiquitatis vel leuiter peritus abnuet. Ad secundum prouocauit CAROLVS SCHENCKEN in *Dissertatione de Ortu et Retractu Feudali,* (s) et quidem ad verba: *Te vero sacrosancta*

E 3 *Eccle-*

primae T. XIII. p. 255. editionis secundae per LVDOVICVM FRANCISCVM IOSEPH DE LA BARRE curatae T. III. p. 319.

(k) de Re diplomatica L. VI. num. LXII. Extat et alia Charta Caroli M. aeque spuria in Chronico S. Michaelis Vird. vt ait DVCANGIVS, sed illius Chronici nobis, licet multum inquirentibus, nulla fuit copia.

(l) I. F. 19. seqq.

(m) in CORNELII MARGARINI Bullario Casinensi T. II. Constitut. XXXII. p. 27.

(n) apud Eundem MARGARINVM T. II. Const. XLII. p. 35.

(o) a Praeside Institutionibus Iuris Feudalis Schilterianis subiecta p. 193. seqq.

(p) Lib. III. de Vita Aelfredi Append. II.

(q) apud IRENAEVM DELLA CROCE *Histor. della Citta di Trieste* L. VIII. c. VII. p. 642. seqq.

(r) Tom. I. p. 225. et Tom. III. p. 303. (s) c. I. §. 19.

Ecclesia B. Petri Apostoli supra scripti Monasterii in Valle Sigusina tam infra muros ipsius ciuitatis quam et in ipso pago ex alode parentum meorum, vel vndecunque mihi iustissime ibidem ex Legibus obuenit, hoc est, quicquid in ipsa Valle Noualiciis, etiam et in Barro seu et Albanato, et vltra Cinisca subtus Crauasca et in FAIDO *vel cetera loca, quod praesente tempore ad Monasterium adiacet, vel aspicere videtur, cum syluis, pratis, alpibus, agris, aquarum decursibus, quicquid praesente tempore ad ipsum sanctum locum adspicere videtur, tam de proprio, quam de conquisto, seu et de Commutationis causa, Promaciano in Valle Maurigenica recepimus.* Vbi notandum, pergit ille, quatuor genera bonorum esse, quae pietas Abbonis monasterio Sigusino testamenti legatione tribuit: primo enim, (vt ex testamenti vlteriori inspectione vnicuique patebit) *ex alode* h. e. bona, quae hereditario iure a Parentibus ei obuenerant, secundo ex *conquisto* h. e. quae suo studio et opera comparauerat, tertio *ex commutatione* qua dissitas possessiones cum situ proximis commutauerat, quarto, quae *a palatio per praeceptionem* (verba sunt testatoris) *Domini Theodorici, Regis et inlustris Domini Caroli ex Fisco regio ei concessa vel donata erant.* Nos haec omnia nihil mouent. Res equidem in vado esset, si in verbis modo adscriptis legeretur: *tam de proprio quam de conquisto, seu et de commutationis causa* ET IN FAIDO *recepimus.* Iam, cum illa verba ET IN FAIDO proxime iungantur propriis variarum possessionum nominibns, et proxime sequantur verba, *et cetera loca*, nulli dubitamus *τὸ* IN FAIDO pariter loci vel possessionis esse nomen. Neminem iure offendet summa illa *Faidi* pro nomine rei accepti cum vocabulo: *feudum* cognatio: Dedit idem ille Abbo iisdem Tabulis (t) *Romam* vna cum adpendiciis Coenobio Noualicensi, quod nemo sanus de illa Terrarum Dea Gentiumque interpretabitur. Nostram porro firmat sententiam, quod feudorum, saltim seruilium, in istis tabulis crebra fiat mentio, sed nonnisi vsurpato beneficii vocabulo, p. 508. lit. A. *de alode parentum nostrorum, quem Austrualdus in* benefi-

(t) cit. loc. p. 509. lit. B.

neficio *habet* lit. C. *quem Sigoaldus Libertus noster in* beneficio *habet* lit. E. *quem Baronta Libertus noster in* beneficio *habet*, atque paulo post, *quem Sauma in* beneficio *habet* p. 509. lit. D. *quem ministerialis noster Baio in* beneficio *habuit* p. 510. lit C. *quem Iocos serator noster in sessione et Opilonicus vsque nunc in* beneficium *habuit*. p. 511. lit. B. *quem Beroleos in* beneficio *habuit*. Immo si *Faidi* vocem de Beneficio accipiamus, tota tabularum illarum fides et auctoritas corruit. Qui enim ista tempestate licuisset, Beneficia regia ad proprium dare? Quis sibi persuadeat, Tabulas eiusmodi a CAROLI M. Notariis fuisse recognitas et confirmatas. Magnus ille Imperator in Capitulari Nouiomagensi. (v) *Audimus quod alibi reddant beneficium nostrum ad alios homines in proprietatem, et in ipso placito dato precio comparant ipsas res sibi iterum in alodum. Quod omnino cauendum est, quia qui hoc faciunt, non bene custodiunt fidem, quam nobis promissam habent.* Apposite AVCTOR vitae B. Guiberti Confessoris et Fundatoris Monasterii Gemblacensis seculo X. (x) Guibertum accusatum, *quod Gemmelaus, regalem fiscum, maioribus ipsius munificentia Imperiali loco* BENEFICII *attributum, in partem proprietatis suae vsurpauerit, et iniussu Regis fundato ibi Coenobio in sortem Ecclesiastici iuris iniuste transfuderit,* QVOD FIERI NVLLO MODO LEX PVBLICA SINIT. Nec nos quicquam morantur verba supra memorata: *quae* a palatio *per praeceptionem Domini Theodorici Regis et inlustri Domini Karoli* ex fisco regio ei concessa vel donata erant, vbi ante omnia malam fidem Nostri accusamus, (y) quod quae hic antiqua litera expressa sunt, in tabulis prorsus non legantur. Qualia autem illa bona fuerint, *quae fuerunt Riculfum filium Rudolphum quondam, quem per praeceptione Domno Theodorico Rege et inluster vero Domno Karolo* Abbo *conquisiuit* ex sequentibus constat: *dum et ipse Riculfus apud gente Sarracenorum*

(v) de A. 805. ap. BALVZIVM T. 1. col. 453.

(x) c. X. ap. LAVRENTIVM SVRIVM in Vitis Sanctorum Mense Maio p. 295.

(y) idque eo maiori iure, quod Virum Eximium, DOMINICVM, eiusdem criminis reum agere intendat, vt infra visuri sumus.

norum ad infidelitatem Regni Francorum ſibi ſociauit, et multa mala cum ipſa gente pagana fecit. Allodia fuerunt ob Perduellionis crimen fiſco vindicata et inde per Praecepta Karoli, vulgo Martelli dicti, ad Abbonem Patricium delata. Quod ad Conſtitutiones Lotharii, vt vulgo putant, primi attinet, CASPAR HENRICVS HORNIVS ad eas prouocat in Iurisprudentia Feudali (z) cui praeiuiſſe videtur IOANNES SAMVEL STRYCKIVS in Additamentis ad Godofredi Antonii Ius feudale (a) ſed et nos exiſtimamus, illas Conſtitutiones non Lothario I. ſed II. Saxoni eſſe tribuendas, et, ſi maxime quis eas Lothario I. adſcribat, veriſſimum credimus, quotiens in iſtis ipſis textibus Longobardicis Conſtitutiones Lotharianas enarrantibus vox feudi habetur, iſtas lacinias pannum eſſe Compilatorum purpurae Conſtitutionum Imperialium aſſutum, quod et Viro celeberrimo BVRCARDO GOTTHELF STRVVIO (b) obſeruatum eſſe deprehendimus. De conſtitutione Caroli III. Craſſi de Expeditione Romana non habemus, quod addamus poſt ea, quae PRAESES in Praefatione ad iſtam celebratiſſimam Conradi II. Salici Legem dixit. De conſtitutione Lotharii I. qua Comitatus Bobienſis Monaſterio Bobienſi iure feudi honorabilis conceſſus eſt, iam pronunciauit DV CANGIVS: *neminem eſſe, qui fictitiam eſſe, non facile perſpexerit.* Et ſane ſunt, ſiue rem, ſiue ſtylum ſpectes multa, quae ſi mitiſſime loqui ames, nos iubent ampliare. Conſtitutio Caroli Craſſi priori conſtitutione ceu fundamento nititur, idem adeo ſubitura fatum. Sed erit locus, vbi in haec diplomata paulo curatius inquiremus. Regis Aelfredi Teſtamentum in hunc finem allegauit IOANNES NICOLAVS HERTIVS, (c) ſaltim PRAESIDI errandi occaſionem praebuit, (d) cuius rei eum eo minus pudet, quod et celeberrimus STRVVIVS loco modo allegato eundem errorem errauerit. Sed omnia alia docent haec SPELMAN-

(z) Cap. 2. §. 1.

(a) Diſp. 1. §. 2. (b) Iurisprud. Feud. c. 1. §. 6. not. ****

(c) de Feudis oblat. P. I. c. 2.

(d) in Not. ad Inſtitut. Schilt. c. 1. §. 1. p. 13. not. (c)

MANNI: (e) *De Testamento Aelfredi, monendus est Lector, illius exemplar haud vsque quaque probari. Saxonice suo tempore extitisse insinuat Harpsfeldius. Alii ex Annalibus Wintoniensibus dicunt ipsum bina scripsisse testamenta, quod vero non est omnino absimile. Hoc enim ipsum, quod ex editionibus Parkeri et Camdeni damus, ex duobus iisque diuersis temporibus scriptis confectum arbitramur.* Ita omnis fides illarum tabularum concidit, cum vel illa malefida interpretatio, vel iste ex pluribus codicibus consutus cento multis post seculis confictus videatur. De Transactionis Tergestinae αὐθεντίᾳ nec ipse IRENAEVS DE CRVCE, nec FERDINANDVS VGHELLVS, nec NICOLAVS COLETVS, (f) nec LVNIGIVS noster (g) dubitarunt. Saltim inter IRENAEVM DE CRVCE et VGHELLVM COLETVMque lis est de alio Lotharii Regis diplomate, quod in eadem Historia Tergestina legere est, (h) et quod Historicus Tergestinus Lothario I. Imperatori, Italiae Sacrae Auctores Lothario Hugonis tribuunt. Quod posterius cum propius ad verum accedere videatur, omnino non leuis superest scrupulus, qui factum sit, vt Ioannes Episcopus Ius in ciuitatem Tergestinam, rem magni momenti, Regio munere sibi concessum, vix elapso semestri spatio, in ipsos Tergestinos transtulerit, in ipsum Regem eiusque beneficium quodammodo iniurius: sed et alia multa in illo diplomate ita sunt comparata, vt inter dubia locum mereantur, sagaci lectori facile obseruanda. Nec est, vt de Constitutionibus Ottonianis plura adiiciamus; nullo auctore prolatae sunt a GOLDASTO, quas vti prorsus fabulosas et ex ingenio confictas dicere vetat illa, quam Viro summis in communem patriam meritis conspicuo debemus, Pietas, ita talem vultum prae se non ferunt, vt in ea, quam hactenus tractauimus, quaestione iisdem tuto liceat inniti.

XXI. Fa-

(e) in Vita Aelfridi p. 184.

(f) Italiae sacrae Tom. V. col. 577. non nihil tamen suboluisse COLETO verba: *vt enim eius aeui sit venditionis charta* inmiere videntur.

(g) Codicis Italiae Dipatici Tom. I. col. 9421. (h) L. VIII. c. 1. p. 607.

XXI. Faciemus id eo rectius, quod non desint alia indubitatae fidei monumenta, quorum omnino nobilissimum est *Priuilegium Ludouici Pii* Coenobio Ebersheim-Monasteriensi Anno Dominicae Incarnationis octingentesimo vicesimo quarto datum, quod laudatissimus SCHILTERVS in calce *dissertationis de Curiis Dominicalibus* edidit, his verbis: *Illud etiam sane non praetermittendum existimauimus, sed omnimodis interdicimus, vt nec praesens Abbas nec aliquis successorum ipsius nec quisquam Monasterii prouisor de fundo Ecclesiae infra praefixum terminum, id est, a saltu qui dicitur Stanenbruc, siue Breitenlacha vsque ad locum, qui vocatur Querchlacha, totaliter vsque in medium alueum Yllae fluminis, in latitudine vero a riuo fontis vsque ad medium alueum Yllae, in locum qui dicitur Staffelgruba praesumat quisquam* iure proprietatis *alibi transfundere*, vel iure hereditatis *alicui concedere. Sed si vtilitas Monasterii sic exposcit, mancipiis Ecclesiae* seruili *tantum* FEODO *concedatur. Piscatoribus autem* FEODATIS *piscatio sit a Racenhusen vsque Querchlacha. Si quis autem de familia ecclesiae fuerint, siue intus siue extra optimum quod in pecudibus, vel in qualibet supellectili possederat, in proximam dominicam curtim accipiatur, et iunior filius ipsius, si de familia ecclesiae fuerint, cum matre* INFEODETVR. Non opinamur quempiam captaturum verba: *Seruili tantum feodo*, in hoc enim vertitur controuersiae cardo, an *Feodi* vox ante annum millesimum in idoneis Tabulis occurrat, de quo Feodorum genere illud occurrat, nondum disputatum memini. Immo dum *Seruilis tantum Feodi* meminit Imperator, tacite ait, esse etiam alterius generis *Feoda*, quae non alia, quam *nobilia*. Huic Priuilegio comites damus Chartas ICto eximio MARCO ANTONIO DOMINICO visas lectasque, cuius in libello de Praerogatiua Allodiorum (i) verba haec sunt: *Extat siquidem in veteri charta Ecclesiae Tutelensis, quae Ademarus quidam Vicecomes, qui vixit temporibus Odonis, et Caroli Simplicis*, (Odonem illum A. 898: obiisse, Carolum Simplicem A. 923. carceri mancipatum constat) *multa huic Ecclesiae*

(i) c. 15. §. 1.

clesiae in redemptionem peccaminum confert bona. Ex quibus primum est omnium, *inquit*, Scalas Castrum meum cum omni Castellania, et cum vniuersis FEVDALIBVS. *Legitur etiam in donatione, quam fecit sub Rodulpho Rege*, (hic Rodulphus A. 936. diem obiit supremum) *Frotardus Vicecomes Caturc. curtis Soliaci Monasterio Aureliacensi, hoc contextu, vti huius mihi copiam fecit Clarissimus Vir*, CHRISTOPHORVS IVSTELLVS. Quidquid vero in tota terra nostra, in ipsa videlicet vicaria de Casiliaco, vel in aliis vicariis nostris, scilicet de Groxia, de Brassiaco, de Caluiniaco, de Sancto Sosico, vel de FEVDALIBVS nostris militibus, vel rusticis, deinceps Monachi Aureliacenses acquirere potuerint, totum et ad integrum eis donamus et concedimus. *Extat quoque eadem vox in testamento cuiusdam Ramnulphi, qui vixit sub Lothario Rege* (qui Anno 986. e viuis discessit) *cuiusque dispositio visitur in archiuis B. Mariae de Fontibus apud Caturcos. Ita enim habet:* Illo FEVO de Limanico, quae fuit Ranulpho auo meo, quae tenuit de Comite, Hugoni dimitto, et Geraldo Ranulpho filiis suis; et illo FEVO, quae fuit Guinaberto, dimitto medietatem Hugoni, Geraldo, et Ranulpho. *Repetitur idem in donatione bonorum, quae idem Ramnulphus contulit Abbatiae Figiacensi:* FEVVM, quem bellus homo tenet in Verneto, in Cromarico, et in ferrariis, et illas terras in monte Nebutiano, quas Rigaldus tenet in FEVO, et boscum de Arla quantum ad meam partem pertinet, haec praedicta omnia cedo, sicut supra dictum est, Domino, et Saluatori nostro IEsu Christo, et Coenobio Figiacensi. Has chartas omnes, fide etiam CHRISTOPHORI IVSTELLI subnixas, indicatis vbique tabulariis, omnes temere confictas dixerim? Non ausim. Audet tamen celeberrimus STRVVIVS duram sententiam pronuncians in Iurisprud. Feud. (k) *Non sequimur* ANTON. DOMINICVM, *qui partim ad Caroli Crassi Constitutionem, partim ad alias chartas seculi IX. prouocat, quae tamen* SVBLESTAE *sunt* FIDEI. Immo HAVD INCONGRVE *Seldenum Glossario Histor. Anglic. subiecto* (pace

F 2 Viri

(k) cap. 1. §. 6. not. ****

Viri doctissimi monebo SOMNERI esse illud Glossarium) *ante Annum X* (forte M.) *in nullo monumento, quod non suspectae fidei fuerit, se feudi nomen reperisse* TESTARI. Nollem haec excidisse Viro celeberrimo, cum parcius tamen ista Viris probis obiicienda sint, nec aliter, nisi clarissimis probationibus in medium allatis. Et qui SOMNERI sententia dici potest incongrua eo in loco, vbi non modo ad SCHILTERI Priuilegium Ludouicianum, verum etiam ad Aelfredi testamentum, et ad Ottonis Constitutiones Goldastinas prouocatur? Sed praeiuit forte supra allegatus CAROL. SCHENCKEN in Dissertatione *de Ortu et Retractu feudali* in Probationibus, cap. II. §. 9. (l) *Ast* suspecta *est atque* apocrypha fides DOMINICI *in illis pariter ac in afferendis integris scriptorum quos citat testimoniis: nam in explicatione illa Pithoei de Terra Salica a nobis adducta*, maleuole *satis vocem* expungit §. 4. *Dissert. de Allodiis.* Scilicet ea in nota male habet hunc Auctorem, quod DOMINICVS negauerit allegato cap. V. §. puta XI. sortes Germanicarum Gentium inde dictas, quod sortibus ex vrna ductis contigessint militibus; potius affirmauerit, sortes dici partes, quae etiam ex diuisione obueniunt. Controuersiam prorsus non facimus nostram, quamuis, si liberet, DOMINICI, *hominis Franci*, vt egregium Virum appellat, castra sequi, ab illo ex TVRONENSI depromto ariete parum nobis metueremus. PITHOEI videtur fuisse sententia, sorte obtigisse terras Salicas, sed DOMINICVS ad PITHOEI auctoritatem isto in loco non prouocat. Alio in loco §. 4. sed quod bonus ille Vir, cum quo nobis sermo est, addere debebat, Capite VII. vbi nulla amplius de superiore quaestione fit mentio, in hunc modum DOMINICVS: *Alode fuit res propria veteris possessoris, vt patet ex tit. 43. eiusdem legis, vbi Romanus possessor dicitur*, qui rem propriam possidet, *quod idem est ac Alodem. Terra vero Salica fuit portio Salio militi et Regi assignata, vt asserit Pithoeus ad Legem Salicam, et Lindebrogius in Glossario ad leges barbaras.* Et haec est illa *suspecta atque apocrypha fides Dominici*, haec est illa infanda *maleuolentia*, quod loco ab ista de sorti-

(l) not. b. p. 67.

fortibus controuersia prorsus alieno ex Pithoeana definitione ea depromserit, quae ad rem praesentem faciebant, ea vero, quae iam sat disputata erant, et in quibus ab eo dissentiebat, omiserit. Neque enim PITHOEI vnius auctoritate vlla talis quaestio stat caditue. DOMINICI fidem a DVCANGIO eo ipso in loco, vbi plura monumenta *Feudi* vocem prae se ferentia falsitatis arguit, non vocatam esse in dubium, et obseruamus, et ob Viri auctoritatem laetamur. Denique est nobis cartula ad manus in Redonica vrbe Anno ab incarnatione Domini DCCCC XC. scripta, quae, quod ab illa vltimo DOMINICI diplomate haud procul aetate absit, annum autem Christi millesimum sfuperet, DOMINICI et nostram sententiam opportune firmabit. Integram dedit GVIDO ALEXIVS LOBINEAV inter Monumenta Britannica (m) et ad rem nostram faciunt, quae adscribimus: *In nomine Domini haec cartula indicat atque conseruat, quod dedit atque offerauit Conan Britannorum Princeps pro Deo et pro vita aeterna acquirenda animae senioris sui et suae animae atque coniugis animae et patris, matrisque animae et fratrum sororumue, nec non ceterorum, quibus velle collesit villas tres, quas Main nepos Archiepiscopi tenebat de eo* - EN PHEVV *eo tempore* - - *et villam Perdutit quam Rorges similiter tenebat* EN PHEVV *sicut praedictus vir.*

XXII. Redeamus post longum iter ad caput nostri capitis, vbi tria veluti tempora constituimus, primum quo non nisi Beneficii nomen auditum: de eo nemo nunc dubitabit, qui legerit, esse plures Viros doctissimos, qui ante millesimum annum feudi vocem vsurpatam negent; secundum, quo promiscuus fuit vtriusque vocabuli vsus, quod nonnullis exemplis declarare est animus; de tertio enim nemo ambiget, qui illos nostrorum Doctorum libellos ferrei fere sermonis inspexerit. Iucundissima sunt, quae RADEVICVS FRISINGENSIS narrat de Friderico Barbarossa Imperatore (n) Dederat ad hunc Maximum Principem Adrianus Papa literas: *debere gloriosissimum hunc filium ante oculos mentis reducere*

(m) T. II. p. 94. (n) de Gestis Friderici I. L. 1. c. 9. 10. et 22.

cere quam gratanter et quam iucunde alio anno mater ſacroſancta Romana Eccleſia eum ſuſceperit, quantam DIGNITATIS PLENITVDINEM CONTVLERIT, *qualiter* IMPERIALIS INSIGNE CORONAE LIBENTER CONTVLERIT, *neque poenitere* Papam *deſideria Friderici voluntatis in omnibus impleuiſſe ſed ſi maiora* BENEFICIA *Excellentia eius de manu ſua ſuſcepiſſet gauiſurum.* Quanta cum indignatione haec cum ab Imperatore tum ab ipſis Principibus et lecta et audita fuerint, multis memorat RADEVICVS, quae addere nimis prolixum foret. Pontifex, vt placaret animos in hunc modum ad Imperatorem ſeſe excuſauit: *Occaſione ſiquidem cuiusdam verbi, quod eſt* BENEFICIVM *tunc animus, ſicut dicitur eſt commotus - - Licet enim hoc nomen, quod eſt* BENEFICIVM, *apud quosdam in alia ſignificatione, quam ex impoſitione habeat aſſumatur, tunc tamen in ea ſignificatione accipiendum fuerat, quam nos ipſi poſuimus, et quam ex inſtitutione ſua noſcitur retinere. Hoc enim nomen ex bono et facto eſt editum, et dicitur* BENEFICIVM *apud nos, non* FEVDVM, *ſed* BONVM FACTVM. *In qua ſignificatione in vniuerſo ſacrae Scripturae corpore inuenitur, vti ex* BENEFICIO *Dei non tanquam ex* FEVDO, *ſed velut ex benedictione et* BONO FACTO *ipſius gubernari dicimur et nutriri. - - - Per hoc etiam vocabulum:* CONTVLIMVS *nihil aliud intelleximus, niſi quod ſuperius dictum eſt,* IMPOSVIMVS. Specioſe admodum: adderem, vere; niſi noſſem Romanam Curiam omni tempore fuiſſe Iuris ſcientiſſimam. Promiſcuum vocum illarum vſum firmat Priuilegium Friderici Imperatoris pro Raimundo Comite Barchinonenſi de A. 1162. apud EDMVNDIVM MARTENE in Collectione Veterum Scriptorum et Monumentorum Ampliſſima: (o) *Praeterea damus et in* FEVDVM *comitatum Forocalquerii cum omnibus regalibus ſuis pertinentibus ad Comitatum ita quod idem Comes de Forocalquerio faciat hominium et fidelitatem Comiti Prouinciae, quemadmodum nobis deberet. Quodſi facere noluerit, perdat Comitatum. Haec ideo de Forocalquerii Comite fecimus, quoniam ex*

(o) T. I. col. 861.

ex quo Romani Imperii diadema diuinitus adepti ſumus, ad Curiam noſtram venire, et BENEFICIVM *ſuum a manu noſtra recipere contumaciter ſuperſedit.* De Henrico, Friderici Filio, eſt Charta de A. 1189. apud HVNDIVM in Metropoli Salisburgenſi: (p) *Si quae et de noſtris praediis, quae iure proprietatis iam illuc collatae ſunt, nomine* BENEFICII *ſeu* FEVDI, *ab aliquibus detinentur, illis, qui ea detinent, decedentibus in vſum Fratrum de cetero libera eſſe ſancimus.* De Friderici II. Henrici F. Friderici N. Imperatoris aetate noſtri Libri Longobardici infinitis locis teſtantur.

CAPVT SECVNDVM.

FEVDORVM ORIGO NON EXTERNA.

I.

AD alterum rubricae noſtrae caput nunc nobis deueniendum eſt, et Negotii Conuentionisque Feudalis prima indaganda origo, maxime ea, quam plures Viri docti in peregrinas delapſi regiones, alienisſimis locis quaeſiuerunt, imo reperiſſe ſibi viſi ſunt. Ordinem ſeruabimus in Origine Rei, quo in ſuperiori capite de nomine ſolliciti ſumus vſi, vnamquamque priori loco collocaturi ſententiam, vt reliquis longius a vero recedere videtur, ſimul addituri vbique id, quod vetat, quo minus in eadem ſubſiſtamus. Quamuis enim ipſi lubentisſime largiamur, eſſe inter eas plures noſtra confutatione, immo pene dixerim memoratu indignas; attuliſſe tamen omnes, quae in noſtras incidere naſſas, non abſque diligentiae laude futurum arbitramur, refutaſſe autem vel ideo non pigebit, quod nihil tam abſonum facile a prioribus ſit dictum, quod in illa ſumma ſentiendi diſſentiendique libidine non iterum inopinatum nanciſcatur Patronum. *Feudorum Origo*

II. Si

(p) T. III. pag. nouiſſ. edit. 247.

a prima Monarchia.

II. Si itaque eam, quam diximus, ſemitam calcare lubet, primus omnium (a) nobis occurrit IOANNES NIELLIVS, Veſalius ICtus, forte minus cognitus aut memoratus, ſi magis probabilem ſententiam dixiſſet. *A prima igitur monarchia*, inquit, (b) *feudorum initia deducimus, quae coepit viuo adhuc Noa Geneſ. X, 8. Beroſ. de antiqu. regn. lib. 4. facit c. vn. §. 1. ibi: antiquiſſimo 1. F. 1. et quod ad vires Imperii augendas et confirmandas, haec res fuerit introducta. textus eſt in cap. 1. verſ. per multas enim 2. F. 52. - - Exemplum huius rei extat manifeſtum Geneſ. XIV. verſ. 4. vbi exemplum eſt quinque Regum, qui dicuntur XII. Annis ſeruiuiſſe Chodorlahomor, et anno XIII. ab eo rebellaſſe. Cur huic ſeruierunt? absque dubio quia bello victis reſtituta ſunt iis regna ſub conditione fidelitatis victori inpoſterum nomine receptorum regnorum praeſtandae. - - Habuerunt igitur vſumfructum feudi regalis ſub fidei conditione ipſis conceſſum, cuius nomine praeſtiterunt per annos XII. ſeruitia feudalia - - Sic igitur de feudorum origine et initiis res habet, vt ſcribit Feudiſta d. c. vn. §. 1. 1. F. 1.* Antiquisſimo tempore ſic erat in Dominorum poteſtate connexum, vt quando vellent, poſſent auferre rem in feudum a ſe datam. *Antiquiſſimum tempus interpretor, vt ſupra, et a tempore primae Monarchiae vsque ad exactos Roma reges. - - -* Poſtea, (*inquit Feudiſta,*) eo ventum eſt, vt per annum tantum firmitatem haberent. *Hoc factum eſt ſub quarta Monarchia, et poſt exactos Roma Reges, nam ſub Conſulari Imperio plerique magiſtratus annui facti fuerunt.* Quis non videt Bono NIELLIO fraudi fuiſſe doctrinae de relationibus ignorationem. Antiquiſſimum tempus, quod FEVDISTA I. F. I. recte ita appellat, vtpote pluri-

(a) Feuda a prima hominum creatione deriuaſſe MARIAM FRECCIAM Comment. Feudal. L. 1. c. 1. §. 83. ait SAMVEL REYHERVS in Hiſtoria Iuris Vniuerſ. c. 33. §. 6. Et ſane habentur apud FRECCIAM alleg. loco verba ab REYHERO adſcripta, continere tamen eadem piam magis meditationem, quam verum de Origine Feudorum ſenſum, eiusdem FRECCIAE euincunt verba §. 82. occurrentia: *Mihi probabilius liquet ex Longobardis feuda ipſa exordium ſumſiſſe.*

(b) Diſput. Feud. I. Th. I.

pluribus a prima feudorum origine feculis remotus, NIELLIVS perperam ad origines humani generis per Noachum restaurati transtulit, et, vbi semel placuit commentum, feudalia quinque regum seruitia, feudum regale Chedorlahomericum et reliqua non minus inconcinna ex ingenio adiecit.

III. Pone NIELLIVM consistat variae alias eruditionis ICtus SAMVEL REYHERVS, qui cum MARCO ANTONIO DE DOMINIS putat (c) *terram Canaan a Domino posteris Iacobi tunquam feudum, et in illo dominium saltim vtile, non directum concessum fuisse.* Allata sententia, non negligendae sunt adductae simul rationes, sed, vt chartae parcamus, adiectis statim notulis nostris characterum diuersitate conspicuis. *Sicut enim*, haec equidem REYHERI verba sunt, *beneficia ex liberalitate dominorum Vasalli possident, ita etiam Israelis Deus terram Cananaeorum, cuius ipse solus erat dominus, ex mera gratia concessit*, quod ipsum ad genericam donationis aut liberalitatis, non ad specificam feudi naturam pertinet. *Sicuti etiam Vasalli iureiurando promittunt fidelitatem, ita etiam Israelitae multis legibus ad fidelitatem adstricti fuerunt.* Sed ad qualem? vt vitam Summi Numinis, membrum, mentem, et eius rectum honorem custodiant? per I. F. V. et VI. haec vel cogitasse, prope a blasphemia abest. An, vt ei in bellis aduersus hostes seruitia militaria expeditionalia exhibeant? id dicere pene ridiculum est. *Vasallis regulariter tantum vsusfructus praedii feudalis conceditur proprietate penes dantem remanente. Israelitis quoque solus vsusfructus in praediis rusticis concessus erat. Hinc solum vsumfructum ad determinatum annorum numerum inuicem vendere poterant, quia Deus ipsorum erat Dominus.* Hoc ipsum, quod de ademta alienandi facultate dicitur, non magis ad feuda, quam ad fideicommissa, et aliud quodcunque vsusfructus genus pertinet. *Vasalli suis sumtibus et*

a Terra Canaan.

(c) in Dissertatione de Feudorum Origine et Libris Kiliae 1704. 4. edita c. 2. et in Historia Iur. Vniuers. c. 33. §. 14. et seqq.

et damno seruire tenebantur; Ita Israelitarum primigenii, et postea compensatione facta tota Tribus Leuitica ad seruitia obstricta erat. En! nouum Prouasallorum genus, Sacerdotes et Leuitae Hebraei, qui feudi illius Canaanitici nullam portionem nacti, seruitia, sumtus, damna tamen tulerunt. Et quae denique illa seruitia, an militaria? an expeditionalia? qui illi sumtus, quae damna? cum populus a Deo iussus, et impensas sacrorum faceret, et de alimentis sacrificulis suis abundantissime prouideret. *Vasalli feuda nonnisi consensu Domini impetrato alienare possunt: Israelitae nequidem consensum impetrare poterant.* Hoc vero ipsum magis ad dissimilitudinem, quam ad similitudinem adstruendam facit. *Quemadmodum etiam Vasalli vestiebantur vel inuestiebantur, dum hasta vel aliud corporeum a Domino feudi inuestituram faciente porrigebatur, ita etiam sacerdotes et Leuitae, vtpote qui nomine Vasallorum, nempe totius populi Israelitici, seruitia praestabant iussu Dei inuestiebantur,* manifesto, et ex vocabuli: *inuestire* ambiguitate deprompto lusu. Ceterum indigna videtur Deo nostro illa cogitatio, dedisse Terrae Canaan dominium vtile, retinuisse directum, Deo, inquam, nostro, cui vniuersa tellus est ὑποπόδιον, immo, si eius infinitatem cogites, rerum natura merum nihil.

a Foedere quocunque inaequali. IV. Tertio loco collocandus videtur MAGNVS WEDDERKOPF, qui in praefatione ad FORNERII et CONTII Tractatus de Feudis (d) *Quando Adherbal,* inquit, *apud Salustium* (e) *Numidiae regni procurationem sibi competere, iure et imperio penes Romanos existente, fatetur, haud scio, num non eo ipso, si Longobardorum more loqui placuisset, dixisset: in Feudum a Romanis regnum meum teneo. Caesar cum Diuitiacum Heduum in antiquum honoris gradum restituit, et Heduorum principatum ei attribuit, vt Bello Gallico operam postmodum ei nauaret, aut Cauarinum apud Senones, Comium Atrebatibus Reges constituit: quis veretur ea beneficia Germanico nomine appellare feuda?* Eandem amplexus est

(d) Francof. 1668. 12. ed. (e) in Iugurtha c. 14.

est opinionem IOANNES TESMARVS, illud etiam NEPOTIS, in Miltiade, (f) Darium Persarum Regem *Principibus vrbium perpetua dedisse imperia*, in rem hanc allegans. (g) Hi, et qui horum similes, vbi foedus inaequale, regnumue aut imperium maiori potestati subiectum, aut alterius maiestatem comiter obseruans apud Veteres reperiunt, peregrinitatis amore, feudum adesse statuunt, ob quamcunque inter nostra beneficia et illa imperia affinitatem. Nos non imaginem aut vmbram, sed ipsam rem, immo rei, quae apud nos superest, ortum requirimus.

V. An vero cui est animus vel ad Turcas vel ad Iaponenses euagari? Viam monstrarunt IOANNES BODINVS et LVDOVICVS MOLINA. Ille in Libro de Republica: (h) *Ius fiduciarium seu feudale sanctius est patrocinii iure, quod etiam a Magistris Ius patronatus appellatur. Hoc quidem antiquius illo: quod tamen a Longobardis origine ducta populos omnes mutua fiduciae caritate complecti videtur: nusquam* (ita enim legendum videtur, cum meum Exemplum Francof. 1609. 8 impressum habeat *plusquam*) *tamen vberius, quam Imperio Turcarum, qui, quod nos* feudum *ipsi* Timar *appellant: et* beneficiarios *seu* vasallos Timariotas: *quibus feuda principis beneficio, et quidem precario, non tamen diutius, quam fructuarii vita, fruenda permittuntur iis conditionibus, vt ingruenti bello Timariotae equites sine stipendio militari et eum equorum numerum deducere* (teneantur) *qui pro ratione beneficii cuique libello censuali definiri solet. Est autem* Timar honorarius praediorum fructus *a Graeco vt opinor* τιμᾶν (i) atque alio in loco

De Feudis Turcicis et Iaponensibus.

(f) c. 3.

(g) in Commentar. ad H. Grotii Librum de I. B. et P. l. c. III. §. 23.

(h) Libr. I. c. 9.

(i) Falli hic BODINVM vt in multis a V. C. IO. CHRISTOPHORO CLODIO Publico Linguae Arabicae in hac Academia Doctore didicimus, qui consultus per literas pro veteri amicitia respondit: *Quaeris ex me, quale vocis* Timar *sit etymon. Est ea vox Persica curam notans rei et personae. Hinc in phrasi etiam dicunt Persae* timar kerden *vel* timar dasch-

co (k) Timariotarum *autem ordo equestris, omnia praedia fiduciae nomine Principi accepta fert, ac decimo quoque anno locationes praediorum renouare consueuit: nec liberos praediorum sed pecuniarum tantum ac familiae heredes habent: nisi Principis beneficio paternorum praediorum ac veluti bonorum possessionem accipiant.* (l) Hic in Libris de Iustitia et Iure: (m) *Illud,* ait, *obiter dixerim; Apud Iaponenses nil videri esse frequentius quam feuda. Cum enim bellis perpetuo in ea ingenti insula principes inter se contendant, antiquo inter eos more, quae vnusquisque bello obtinet, continuo diuidit inter suos duces, et alios quos diligit, cum onere sibi seruiendi in bello et alia onera praestandi, mutatque dominos de vno loco in alium, auferendo ab eis, quae possidebant, et alia*

daschten, *curare aliquam rem: hinc Turcae, qui plurimas voces ex illa lingua, ceu venustissima in suam transtulerunt, feudum appellarunt, et* Timariota *vocabulum efformatum inde fuit, quod Turcice* ehl timar *homo seu homines, qui Timar habent eiusmodi, effertur. Alia vero species Feudorum maiorum est, quae* Ziamet *vocatur, et* Zaim *est talis feudatarius maior, de quo nonnulla in Lexico meo Turcico p. 213. monui, ac plura, si Deo visum fuerit, monebo, cum de Iure Publico Turcarum in medium aliquid proferre licebit.* atque iterum: *Deriuarunt plerique a Graeco* τιμᾶν, *sed melius, vt puto, ego ex Persica Lingua, et conuenientius. Nec a Persis solum vocem sed et rem acceperunt, cum et feuda bene meritis Reges Persiae iam olim praemii loco dederint sub variis conditionibus, vt hodienum Turcarum Imperatores dant, conceduntque talia feuda, quae plerumque militaria sunt in omnibus prouinciis.* Ziamet *a* Timar *differt vt maius et minus. Nam prima eorum institutione reditus illius superat reditus huius, quamobrem et numerus* Timariorum *longe numerum* Ziamet *excedit. Attamen per* Teskeret, *siue rescriptum Imperatoris augeri possunt hi reditus, vt fere aequentur. Compara feudum et apanagium.*

(k) L. II. c. 2. p. m. 298.

(l) Gemina habet ANDREAS MAXIMILIANVS FREDRO in Gestis Populi Poloni sub Henrico Valesio p. m. 179. *Praedia et agros diuidit in milites* (Turcarum Tyrannus) *neque ea gratuita cedit acceptori munificentia, sed pro magnitudine prouentus binos aut plures equites agri tenutarius, dum bellum per prouincias iussu Imperatoris proclamatur, in castra secum ducere cogitur, ac tamdiu quoad vsque opus fuerit morari. Hi vero milites Turcico vocabulo* Tymarii (*quasi feudales*) *vocantur.* Adde *Nic.* Hönigers Türckische Historien P. I. L. I. c. 6.

(m) Tractatu II. Disputat. 485.

alia eis largiendo. Maiores autem Dynaſtae ſub ſupremo aliquo Principe ita conſtituti diuiſa habent loca, quibus dominentur in alios ſibi inferiores, cum eisdem oneribus ſibi inſerviendi in bello, et praeſtandi alia realia onera, et illi in alios, quousque deuenitur ad infimos Tonos, *quos ipſi vocant, qui ſimiliter dominantur vnusquisque in ſuo oppido, et ſimili fere lege, vt vaſalli ipſum comitentur in bellum, et ſeruitia alia realia praeſtent: Mores tamen et vſus feudorum non iidem ſed diuerſi in aliquibus ſunt apud ipſos ab iis, qui in Germania, Gallia et Italia vigent, quique in libro in corpore Iuris inſerto ac inſcripto conſuetudines Feudorum continentur.* (n) Sed et ipſe BODINVS eo minime delabitur, vt originem noſtrorum feudorum a Turcicis inſtitutis arceſſat, et MOLINA fatetur, multum differre Iaponenſia a Longobardicis, vt adeo iis amplius immorari, eſſet oleum et operam perdere.

VI. Miſſis potius omnibus a veritatis ſpecie valde remotis opinionibus ad alia, non magis vera, magis tamen ſpecioſa, progrediamur. Multis placuit origo Romana; aliis temere perſuaſis, quicquid in gentium moribus pulcrum, laudabile, publicae rei vtile reperiatur, illis omnium mortalium prudentisſimis ſapientisſimisque Romanis dudum fuiſſe cognitum atque perſpectum; aliis probe gnaris, per bella, per migrationes, multum fuiſſe omni aetate Genti vtrique, Romanae et Germanicae, commercii, ipſum Romani Imperii decus, Italiaeque imperium ad Regem Germaniae translatum, vicisſim mores noſtros ante ſeculum non vnum a Romanis legibus ſub iugum miſſos, vt pro monſtro non ſit, rem Romani ortus in media Germania reperiri. Verum enim vero de illa apud Romanos feudorum fontes reperiundi ſpe multum deminuit multiplex inter Viros doctisſimos diſſenſio, vt violenta quaedam initio ſtatim naſcatur ſuſpicio, rem, quam tam diuerſis ſemitis indagarunt, forte prorſus abeſſe. Sed ſequamur vnumquemque ducem ſuis cum aſſeclis, et, qua veritatis ſpecie ingresſi ſint viam, propius paulo diſpiciamus.

Origo Feudorum Romana.

(n) adde ſi lubet FRANC. CARONS *Beſchreibung von Iappan, Quaeſt.* 5.

Antiquisſimus omnium, qui Romanos feudalem contractum non ignoraſſe ſibi perſuaſit, eſt LVCAS DE PENNA ICtus Toloſanus in commentario ad III. poſteriores Codicis libros (o) *Alia*, inquit, *praedia ſtipendiaria dicta, quia pro ſtipendio militibus dabantur, - - et hic eſt verus intellectus illius literae d. §. per traditionem. Et ſic accipiendo conſtat, quod contractus feudalis etiam erat tempore Iuſtiniani, licet An. de Iſern in praeambulo lib. feud. qu. 2. circa hoc nimium ſe inuoluat. Et ſic erant forte praedia, quae dabantur veteranis D. de Euict. Lucius.* Scilicet in §. 40. I. de Rer. Diuiſ. explicando antiquitatis ignoratione lapſus ICtus non ſpernendus, praedia ſtipendiaria a tributariis ſeparauit, illa militibus data credidit pro ſtipendio, haec priuatorum fuiſſe et a praeſtandis eo nomine tributis accepiſſe nomen, ſtatuit; cum tamen Antiquitatum Studioſis nunc ſatis conſtet, praedia tributaria et ſtipendiaria non a ſe inuicem, ſed a fundis Italicis fuiſſe diuerſa; hos iure optimo fuiſſe datos, acquiſitos, poſſeſſos, immunes ac liberos, illis tributa atque ſtipendia fuiſſe impoſita; horum penes Ciues Romanos fuiſſe dominium Quiritarium nonniſi ſolenni mancipatione a Quirite ad Quiritem deriuandum, illorum vt rerum nec mancipi dominium bonitarium prouinciales habuiſſe, et in quemcunque naturali traditione tranſtuliſſe, quae omnia dudum ab aeui ſui vſu remota, ſed in veteris prudentiae voluminibus reſidua ſuſtulit IVSTINIANVS cum in l. vn. C. de Vſucap. transform. tum in allegato §. XL. vti dudum praeclare ad eundem docuit magnum melioris Iurisprudentiae ornamentum, IANVS A COSTA.

A Praediis ſtipendiariis et tributariis.

A Clientelis.

VII. Gallo iungamus Gallum ſed haud paulo doctiorem GVILIELMVM BVDAEVM illum Iurisprudentiae a ſordibus repurgandae inter ſuos Auctorem praeclarisſimum, qui in laudatisſimis ad Pandectas Annotationibus (p) *His*, ait, *verbis accurate perpenſis ac ne perpenſis quidem, ſed tantum animaduerſis, nemo eſt, (vt arbitror,) qui non hanc noſtram feudorum*

(o) ad L. Quicunque 7. C. de omni agro deſerto XI. n. 2. fol. 204. b. edit. Lugdun. 1583. fol.

(p) ad L. Herennius de Euiction. p. m. 741.

dorum consuetudinem ab illa clientium obseruantia in patronos, et fide patronorum in clientes oriundam esse iudicet. Itaque quos Vasallos vocant, Clientes Latine appellare soleo, et clientelam obseruantiam ipsam, et obsequium, quod homagium dicunt, clientelaris officii sponsionem agnitionemque. In vsibus feudorum apparet clientelam et beneficium olim hoc vocatum fuisse. In eandem sententiam peruenit magnum Germaniae et cum Budaeis Alciatisque comparandum decus VDALRICVS ZASIVS cum in Commentario ad L. 2. D. de Origine Iuris (q) tum in Epitome ad Vsus Feudorum. (r) Eorum quae a ZASIO dicta sunt, summa haec est: *Verisimile esse, cum Romani in prouinciis, Gallia, Germania, et alibi victricia signa circumtulissent, bonaque pars militum Romanorum in prouinciis remansisset, ipsos cum multum eis esset agri, vicinos pro clientulis inuitasse, eisque agros et fundos nomine clientelae concessisse, atque ita temporis, quod omnia variet, processu feuda ceterasque id genus emersisse concessiones; hanc coniecturam haud parum adiuuare, quod vt olim patroni clientibus et vicissim isti illis mutua obligatione nectebantur, sic in feudis et curiis paria recepta sint, et quod clientuli vel hodie nominentur, qui domino beneficium debent, veluti in vulgatis feudorum vsibus perspicuum sit.* Loca ad quae vterque ICtus prouocat, in vsibus Feudorum sunt: I. F. X. et I. F. XIII. argumentum inde ductum prorsus ficulneum est. Quod ZASIVS de nimia agri copia tradit, quae possessores ad clientelas instituendas illexerit, ab ingenio sunt Viri magni, et iis, quae in Romanis historiis traduntur, aduersa. In reliquis vtamur verbis ANTONII DADINI ALTESERRAE, (s) qui neruose et prorsus ad nostram mentem: *Iura Patronorum et Clientium fuerunt mere personalia, nec in his intercessit datio vlla praediorum, sed nuda erogatio sportularum et annonarum, ius feudorum vero proprie in fundis et rebus soli consistit. Clientibus militiae onus iniunctum non fuit, sed tantum ciuile obsequium, et pecuniarium subsidium, vt pridem obseruatum ex Dionysio Halicarnasseo et Plutarcho: feudis vero inest proprie lex militaris seruitii.* ZASIVM tamen

(q) in pr. n. 21. (r) Parte I. n. 1. (s) de Feudis Galliae c. 1.

tamen sequuntur GVILIELMVS HANNETONIVS (t) et FRANCISCVS POLLETVS. (v)

A Militiis.

VIII. Tertio loco collocabimus eos, qui a Romanis Militiis origines feudorum arcessunt, quod GREGORIO HALOANDRO, Viro, vt laudatissimi ZASII verbis vtar, quondam dum viueret, incomparabilis eminentiae, tribui video ab illo ipso ZASIO, (x) FRANCISCO CONNANO, (y) IOANNE BORCHOLTEN (z) NICOLAO VIGELIO (a) *et* WILHELMO LVDWELLO. (b) Rem tot testibus firmatam in dubium non vocabimus, licet ipsa HALOANDRI verba inspicere nobis nondum sit datum, vtamur interea iis, quae NICOLAVS VIGELIVS habet (c) quod id, quod HALOANDER dixit, verissimum putauit. Dicta ab eo ad haec redeunt: *Imperatores Romanos spreta Senatus auctoritate Imperium eius excussisse; Exercitum eadem peruicacia Imperatorum eligendorum et remouendorum auctoritatem sibi vsurpasse; inde Largitionibus eundem in officio fuisse retinendum; cum ad largiendum non sufficerent pecuniae praediaque ex hostibus capta, ventum esse ad officia publica et praefecturas, quae militiae in iure appellentur; Huiusmodi militias officiaque publica coepisse postea militibus ad vitam assignari; immo post mortem eorum filiis heredibus concessa; feuda nihil aliud esse quam beneficia militaria; a militiis non differre, praeterquam quod ipsis militiis generaliora sint; non solum in officiis publicis et praefecturis sed etiam in rebus corporalibus immobilibus vel aequipollentibus consistentia; accedere rationem nominis feudorum capite proximo proponendam, et quod Vasallus in iure feudali saepe militis appellatione denotetur*. Quam verum est Vasallum appellari Militem I. F. 19. I. F. 22. II. F. 26. et locis aliis quamplurimis, tam futile est inde inferre, feuda a militiis orta. Nominis ratio proximo capite explicanda est illa, quam superiori capite huius Dissertationis sectione

(t) de Iure Feudorum L. 1. c. 2. (v) in Histor. For. Rom. L. II. c. 10.

(x) in Vsu Feud Part. I. n 1. (y) Comment. Iur. Ciu. L. II. c. 9. n. 5.

(z) in Comment. ad Consuet. Feud. c. II. n. 5.

(a) in Methodo Iur. Feud. c. 1. (b) in Synopsi Iur. Feud. c. 1.

(c) Gemina habet HERMANNVS VVLTEIVS, VIGELII Collega, de Feudis L. I. c. 1. n. 14.

ctione XIII. tradidimus et destruximus. Quod autem caput est sententiae, defuisse tandem Imperatoribus ad largitiones pecunias et praedia, militibus inde officia et praefecturas distributas, gratis asseritur. Immo latuit VIGELIVM vera illarum Militiarum natura. Fuit alia Castrensis, alia Vrbana, et haec vel Armata, vel Togata, atque haec iterum vel Imperatorum, vel Magistratuum. Militia Imperatorum vel Palatina vel Sacrorum Scriniorum. Illa Comitum Palatinorum, Comitatensium, Domesticorum, Largitionalium, Priuatianorum, Mittendariorum et quotquot in Palatio munus aut officium obibant, in Scholas Palatinas distributi. Haec Exceptorum, Amanuensium, Librariorum, Memoralium, Cornicul ariorum, Laterculensium, Proximi Scriniorum, Comitis Dispositionum, Magistri Scriniorum. Magistratuum fuit Militia cum forensis, quae Aduocatorum, tum Apparitorum, Scribarum, Interpretum, Praeconum, Accensorum, Lictorum. Hae militiae erant in commercio, vendi poterant, pignori obligari, legari, ad heredes transmitti. Certum omnibus salarium constitutum, quod de publico soluebatur, vt haec omnia praeclare exsecutus est IOSEPHVS AVERANIVS (d) Vir et ingenio et doctrina Magnus. Quae, nunc quaeso, his Militiis cum Feudis cognatio? Num et fundi in his militiis dati assignatique? Num, vt in bello fidelem operam nauarent, hae militiae Quiritibus datae? An vero et Feuda primis temporibus vendi, legari, transmitti potuerunt? Nimis vtrumque genus inter se discrepat, quam vt credamus, quenquam huic opinioni in hac literarum luce accessurum.

IX. Sed meliora forte dabit, qui quarto loco occurrit, IACOBVS CVIACIVS ICtorum sua aetate Princeps; ille peculiari obseruatione de Feudorum origine et conditionibus traditurus in hunc modum verba facit: (e) *Natura feudi haec est, vt debeatur Fides et Hominium, id est, vt profiteantur, se fideles domino fore, et se homines eius esse - - -*

Et

(d) in Interpretat. Iur L. II. c. 17. (e) L. VIII. obs. XIV.

Et inde, qui feudum tenet, fidelis et homo dicitur, et homo fidei, Vassus siue Vasallus Longobardice. Hominum appellatione in libris nostris continentur procuratores, actores, custodes, conductores, emphyteuticarii, chartularii l. 4. C. de Pign. l. 1. C. de conduct. et procur. praed. fiscal. l. 2. C. de Episcopis et Clericis l. 1 C. de Commerc. *Continentur Vasalli, nam hoc ius feudi antiquissimum esse, refertur initio libri feudorum - - Vasalli igitur olim erant homines id est, veluti actores et custodes possessionum, et procuratores, et quasi precarii possessores, quo titulo etiam hodie, si nominatim praedium in causam feudi detur, reuocari potest, cum libet danti, diciturque hoc modo concessum feudum Guardiae id est custodiae, et gastaldiae id est actus siue procurationis feudum. Ex iis vero apparet, vnde orta sint feuda. Actores possessionum coeperunt perpetuo iure possidere, quod quasi precario possidebant. Actores homines nostri dicuntur. Nomen mansit hominum, res et conditio tenendi possessionem mutata est.* Multum curae, vt ex allatis videre est, posuit Vir magnus in his feudorum originibus adstruendis, sed conatu prorsus irrito, cum vocis *Homo* feudalem vim atque potestatem ignorauerit, adeoque ad eiusdem vocabuli in Libris Iuris Romani obuium sensum velut ad lapidem offenderit. Procuratores, Conductores, Actores et reliquos, quos attulit, homines appellatos certum est, illud autem ideo, quod plerique serui essent aut a seruili conditione proxime distantes. Hominem pro seruo accipi in Iure nostro peruulgatum est. (f) His pro Actoribus, Villicis, Colonis, Operariis, vsos esse Romanos ex ALFENO VARO constat: (g) *Itemque de seruis eadem ratione quaeri, qui eorum vsus sui causa parati essent: vtrum Dispensatores, Insularii, Villici, Atrienses, Textores, Operarii quoque Rustici, qui agrorum colendorum causa haberentur.* Praeclare in hanc rem HONORIVS et THEODOSIVS IMPP. (h) DOMINOS *ita constringi manife-*

(f) Loca sunt infinita. Allegemus primum obuia pr. I. ad L. Aquil. l. 48. §. 6. D. de Aedilit. Edict. l. 35 D. de Legat. I.

(g) L. 203. D. de V. S.

(h) L. vn. C. Th. quod Iussu.

nifestum est actione Praetoria, quae appellatur: Quod iussu, si certam numerari praeceperint SERVO ACTORIVE (i) *pecuniam. Igitur in perpetuum Edictali lege sancimus, vt qui* SERVO COLONO, CONDVCTORI, PROCVRATORI, ACTORIVE POSSESSIONIS *pecuniam commodat, sciat* DOMINOS *possessionum cultoresue terrarum obligari non posse, neque familiares Epistolas, quibus* HOMINES *plerumque commendantur absentium in id trahere conuenit, vt pecuniam quoque, quam rogatus non fuerat, impendisse se pro praediis mentiatur.* Ex hac hominum faece ortos esse Vasallos sibi persuasit CVIACIVS, quos Francorum monumenta, vbi primum beneficiorum faciunt mentionem, Viros fuisse nobilissimos, vno ore loquuntur. Qui vero? *coeperunt perpetuo iure possidere, quod quasi precario possidebant*, nullo idoneo auctore allegato, ne vlla quidem causa probabili coniiciendo adiecta. Quod enim ait, *Contineri hominum nomine Vasallos, quod ius feudi antiquissimum esse referatur initio Libri feudorum*, tanto Viro prorsus indignum est. Eo autem maiori iure huius mutationis caussas requirimus, quod istorum hominum in Iuris Ciuilis Libris munus fuerit vile et paganum, Hominum feudalium status eximius et militaris. In hanc sententiam pronum ICtum impulit Guardiae et Gastaldiae feudum. Verum enimuero probandum erat ante omnia, feudum omnium primum et antiquissimum fuisse feudum Guardiae siue custodiae et Gastaldiae id est actus, vt reliqua ab hoc vno, hoc vnum et antiquissimum ab actoribus et custodibus Romanorum ortum traxisse, aliquo modo probabile fiat. Nobis interea haec animo sedet de istis feudis sententia, sequiori demum tempore et ea aetate, qua nihil non in feudi leges compositum, fuisse inuenta, nec facile praedia, sed alia quaecunque commoda et emolumenta in feuda guardiae et gastaldiae fuisse concessa, licet ipsa guardia et gastaldia praedii, immo feudi caussa, fuerit instituta. Obscurius de hac re, et, ni fallimur, minus accurate CVIACIVS hoc loco. Clarissime Textus II.F.

 IV.

(i) Iunge §. 7. I. de Iniuriis.

IV. § 3. *Item si Vasallus possederit castrum, quod dixerit se iure feudi tenere, et e contra Dominus per Guardiam dixerit se ei dedisse.* Non errasset hos errores Cuiacius, si, vt supra iam indicauimus, Vocis, quae eum fefellit, vis et potestas eum non latuisset. Sunt *Homines* Vasalli, non illi, qui agendo, conducendo, custodiendo, colendo agros vile ministerium subeunt sed qui se *Viros*, id est, Homines fortes et strenuos praestant. Homines, *die Mannen*, Hominium *die Mannschaft*. Ius Feud. Alem. c. 43. *butten sine Mannschaft*. Num melior Latii aetas hanc Vocis significationem admiserit, nunc non disputabimus. Sequiori tempore id inualuisse ex Linguarum e Latino sermone magnam partem enatarum hodierno in hac re consensu constat: *Homme et Femme*, *Huomo e Donna*, *Hombre y Muger*. In Vasallum, in Hominem recipere idem esse ac in Virum recipere, certiori argumento non liquet, quam illo, quod Veteres, in Vasallam recipere, dixerint in feminam recipere. Locus ad manus est luculentus e Charta Roberti Comitis Drocarum Anni MCCXVI. a supra laudato LOBINEAV in altera Historiae Britannicae parte edita: (k) *Et quia Comitem Th. patrem istius Th. per assensum Baronum regni Franciae nullo contradicente recepit Dominus Rex in Hominem de Comitatu Campaniae et Brie, sicut Pater eiusdem Comes Henricus inde Comes fuerat, et post decessum dicti Comitis Th. recepit Bl. Comitissam de eodem Comitatu* IN FEMINAM SVAM *sicut de Ballio, et postea Th. filium eius, saluo Ballio matris suae, de eodem comitatu* IN HOMINEM *recepit nullo contradicente: de iure non debebat Dominus Rex dessaisire B. Comitissam vel Th. filium eius de Comitatu*, et reliqua.

A Terris limitaneis Fundisque limitrophis.

X. Reiectis *praediis stipendiariis*, spretis *Clientelis*, sepositis *Militiis*, submotis *Hominibus*, ad *Terras limitaneas Fundosque limitrophos* deferimur, quibus quinta de Origine Feudorum Romana innititur sententia, sane, si eo feraris, vt peregrina placeant, vnice amplectenda. Prima est commendatio ab eorum, qui suam fecerunt, celebritate, quos inter

(k) col. 373.

ter memoramus LAELIVM TAVRELLVM (l) ANTONIVM CONTIVM (m) ISAACVM CASAVBONVM (n) IACOBVM GOTHOFREDVM (o) CAROLVM FRESNEVM CANGIVM (p) et qui nouissime istas origines iterata diligentia exornauit, NICOLAVM HIERONYMVM GVNDLINGIVM (q) cuius de bonis literis immortaliter meriti, et nobis, dum vita manebat, amicissimi Viri rationibus si, salua illa, quam eius Manibus debemus, reuerentia, faciemus satis, haec res videbitur confecta. Ante vero quam ad hoc nos accingamus, cum praesidia huius opinionis in antiquitate obuia, tum etiam a Viro Illustri nouiter allata pondera exponere est necesse. Illa exstant in L. XI. D. de Euictionibus, vbi PAVLLVS: *Lucius Titius praedia in Germania trans Renum emit, et partem pretii intulit, cum in residuam quantitatem haeres emtoris conueniretur, quaestionem retulit, dicens, has possessiones ex praecepto principali partim esse distractas, partim veteranis in praemia assignatas.* Apud AELIVM LAMPRIDIVM in Alexandro Seuero (r) *Sola, quae de hostibus capta erant, limitaneis ducibus et militibus donauit, ita vt eorum ita essent, si heredes illorum militarent, quod diceret, attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent.* Apud FL. VOPISCVM in Probo (s) *Veteranis omnia illa, quae anguste adeuntur, loca priuatis donauit, addens vt eorum filii ab anno octauo decimo mares duntaxat*

H 3

(l) in Epistola ad Antonium Augustinum de Militiis ex casu.

(m) in Methodo de Feudis c. 1. §. 6. qui tamen §. 7. minora feuda a Clientelis arcessere mauult. Idem §. 5 singularem prorsus SIGISMVNDI LOFFREDI sententiam affert, sed de qua, cum nobis nondum satis constet, credimus esse ampliandum.

(n) ad Lampridii Alexandrum Seu. c. 58.

(o) ad L. I. C. Theodos. de Terris limitaneis VII. 15.

(p) in Glossar. med. et inf. latin. voce: feudum.

(q) in Gundlingianis P. 1. n. 1. von dem Ursprung der Lehen et P. XI. n. 2. kurze Erläuterung über die Fundos Militares und Limitrophos der Römer.

(r) c. 58.

(s) c. 16. de Isauriae locis angustis capienda haec verba esse, antecedentia ostendunt, de quibus et TREBELLIVS POLLIO in XXX. Tyrannis c. 26.

xat ad militiam mitterentur. Apud AVCTOREM ANONYMVM(t). Notitiae Imperii adiunctum: *Huiusmodi igitur prouisionis vtilitas in augmentum prouincialium habet veteranos regiis donis opulentos et ad colendos agros adhuc praeualentes agricolas: habitabunt Limites Arabum, quae dudum defenderant loca, et, laborum desiderio potiti, erunt ex milite collatores* (v) in L. I. C. Theodos. de Terris Limitaneis, vbi HONORIVS et THEODOSIVS IMPP. *Terrarum spatia, quae Gentilibus propter curam munitionemque Limitis atque Fossati Antiquorum humana fuerant prouisione concessa, quoniam comperimus aliquos retinere, si eorum cupiditate ac desiderio retinentur, circa curam Fossati tuitionemque Limitis studio vel labore nouerint seruiendum, vt illi, quos huic operi antiquitas deputarat: Alioquin sciant, haec Spatia vel ad Gentiles, si potuerint inueniri, vel certe ad Veteranos esse non immerito transferenda, vt hac prouisione seruata, Fossati, Limitisque nulla in parte timoris esse possit suspicio.* in L. II. C. de Fundis Limitrophis vbi IIDEM AA. *Quicunque Castellorum loca quocunque titulo possident, cedant ac deserant: quia his tantum fas est possidere castellorum territoria, quibus adscripta sunt, et de quibus iudicauit Antiquitas quod si vlterius vel priuatae conditionis quispiam in his locis, vel non castellanus miles fuerit detentator inuentus, capitali sententia cum publicatione bonorum plectetur.* in L. III. eod. vbi THEODOSIVS et VALENTINIANVS IMPP. *Agros limitaneos vniuersos cum paludibus omnique iure quos ex prisca dispositione limitanei milites ab omni munere vacuos ipsi curare pro suo compendio atque arare consueuerant: et si in praesenti coluntur, ab his firmiter ac sine vllo concessionis grauamine detineri: et si ab aliis possideantur (cuiuslibet spatii temporis praescriptione cessante) ab vniuersis detentatoribus vindicandos, iisdem militibus sine vllo pror-*

(t) fol. m. 203.

(v) Haec postrema verba, si contuleris cum iis, quae in l. 3. C. de fundis limitrophis habentur, facile persuadebunt, Auctori Anonymo non de agris publicis, sed priuatis sermonem esse. Nolui tamen omittere locum, quem et IACOBVS GOTHOFREDVS huc pertinere credidit.

prorsus (sicut antiquitus statutum) collationis onere volumus adsignari: in his etiam contra eos, qui praeceptionibus nostris obuiam venire tentauerint, proscriptionis poena valitura: Nam si quis forte (quod minime audere debuerat) emtionis titulo, memorati iuris possidet praedia: competens ei actio contra venditorem intacta seruabitur. Denique in Νεαρᾷ Νομοθεσίᾳ περὶ τῶν στρατιωτικῶν (x) in qua Imperator CONSTANTINVS PORPHYROGENNETA (y) de Fundis militaribus plura constituit, quam vt commode adscribi possint.

XI. Nunc videamus, quid B. GVNDLINGIVM in hanc sententiam coniecerit, collectis in vnum rationibus, quas per vtramque istam dissertationem sparsit. Nempe existimat, *non esse vitio vertendum* IACOBO GOTHOFREDO *et aliis, quod in Originibus Feudorum inquirendis ad fundos et agros limitrophos penetrarint; in his agris eosdem feudorum materiam, similitudinesque multas offendisse: notissimum esse, quod Germanicae Gentes, migrando in Prouincias Romanas delatae, Romanorum mores adoptarint; exemplo maxime esse Theodoricum Ostrogothorum Regem; eum oportere* CASSIODORI *Varia non legisse, qui in istis formulis nihil de beneficiis repererit; ne vllus dubitationi relinquatur locus, formulae libro XII. quintae verba se adscribere:* Sed quo facilius vestra instauretur notitia, imputationum summas infra scriptis breuibus credimus exprimendas: vt nemo vobis vendat beneficium, quod publica noscitis largitate collatum. Continete ergo possessorum intemperantes motus; *Longobardis non posse tribui feudorum inuentum, cum Theodoricus Ostrogothus beneficia dederit; ipsum Clodouaeum aetate a Theodorico superari;* *Argumenta B. Gundlingii.*

(x) quam emendatissime cum aliis IX. Νεαρᾶς CAROLVS LABBAEVS edidit, et suis in Synopsin Basilic. obseruationibus et Emendationibus subiungit.

(y) Miror B. Gundlingio sequentia excidisse de hac Nouella: *Weil sie noch besser beweiset, daß auch schon die Römer und Griechen dergleichen Verfassung zuvor, und bereits dazumahl gehabt, als die Teutsche Völcker besondere Königreiche errichtet.* Per temporum rationes hoc asserere non licet.

rari; Vandalos etiam et Burgundiones habuisse feuda, ostendere id initium Legum Gundebaldi, qui pariter Clodouaeum aetate antecedat; ALTESERRAM, *et qui eum sequantur, huic sententiae obiicere, quod in fundis limitrophis fuerit quidpiam hereditarii, feuda vero iure vsufructuario et ad vitam initio concessa fuerint; hoc et verum esse et falsum; falsum videri, quod feuda militaria communiter ad vitam vnice fuerint concessa, vel ex hac ratione, quod in tam dubia possessione nemo serio animum ad ea colenda appulisset; verum esse, feuda ad filios minus ad praestanda seruitia idoneos non fuisse transmissa; at enimuero hoc etiam in fundis militaribus vsu venisse;* LAMPRIDIVM *disertis verbis tradere, oportuisse filium esse militem; feminas ideo apud Romanos, vt apud Francos, ab ista hereditate fuisse exclusas;* IACOBVM GOTHOFREDVM *iam obseruasse istos fundos fuisse publicos; allodia potuisse vendi, donari, pro lubitu alienari, terras limitrophas ad filios idoneos, et quidem cum onere, vel vt nunc loquimur, cum seruitio peruenisse; falsissimum esse Veteranis vnice illos fundos datos, vel etiam absque omni onere distributos;* ALTESERRAM *aliosque* LAMPRIDIVM *et* VOPISCVM *non recte inspexisse; fontem erroris in eo latere, quod dissentientes, inter fundos militibus Romanis in proprietatem datos, et hos limitrophos non distinxerint; illos fuisse priuatos, hos publicos; illos veteranis longa militia confectis, hos veteranis et militibus adhuc militantibus datos;* CASSIODORVM *habere formulam* beneficii publica largitate concessi; *nec apud* CASSIODORVM *vllum vestigium apparere, huiusmodi morem vel ab Odoacro vel a Theodorico esse primitus repertum; immo nunc se statuere, Francos et Longobardos prorsus eodem modo, quo Romani erant soliti, feuda sua dedisse; ad liberos seruitiorum militarium incapaces et feudum et fundum limitrophum non peruenisse, et hoc sensu fuisse fructuarii iuris, ad capaces vtrumque peruenisse; Comites aliquando adimere voluisse filiis Feuda; Reges id non esse passos; illud tentasse Geroldum, Comitem Aureliacensem, Carolum Simplicem obstitisse, teste* ODONE CLVNIACENSI *verbis:* Neque hoc patiebatur, vt quilibet

senior

ſenior beneficia a ſuo Vaſſo pro qualibet animi commotione poſſet auferre. *Idem in Longobardia poſtea tentatum teſte* WIPPONE *et* HEPIDANO. Haec B. Viri, quicunque paulo accuratius inſpiciet, facile deprehendet, cardinem hypotheſeos in loco CASSIODORI verſari, ad quem iterum iterumque prouocat. Ita autem, vt opinor, ille olim meditando ſecum: „Ad Francos plures feuda referunt, quid ſi „illa ſint Romana? Fundi militares ſane feudis ſunt valde „adfines; quo auctore ad Germanos tranſierint, id vnice „reſtat demonſtrandum; quid ſi Oſtrogothi feuda habue„rint? ſi habuere, habuere a Theodorico, et hic a Romanis „Romanorum morum vt peritiſſimus ita ſtudioſiſſimus. CAS„SIODORVS itaque euoluendus eſt.„ Nulli dubitamus hoc ſtudioſe factum a Viro doctiſſimo, ſed magna ſimul illud, quod praeoptabat, inueniendi cupidine incenſo, in quo lectionis curſu cum incautius ventis vela daret, ad formulam Libri XII. quintam delatus, haeſit ad eam tanquam ad infelicem ſcopulum, nihil enim minus illa loquitur quam feudum. Miramur ICtum acris omnino iudicii, in hac pugna, in qua validiſſimos aduerſarios laceſſiuit, tam facile nudum dediſſe latus, a Velite, qui animum aduertiſſet, confodiendum. Nobis hoc non ſumimus, vt mortuo inſultemus Leoni, quamuis inuicta veritatis vis lapſum Viri magni nos ſilere vetet, ſimul hoc caſu monitos, ne quid humani a nobis alienum credamus. Vt autem noſtris Lectoribus eo rectius conſtet de hac re, maxime iis, quibus forte CASSIODORVS ipſe non eſt ad manus, illam e Libro XII. formulam V. adiiciamus, ex editione equidem I. GARETII, noſtris ſimul interpretationibus, quam characteris diuerſitas indicabit, paſſim illuſtratam. *refutata.*

Valeriano Viro Sublimi Senator Praefectus Praetorio.

Generaliter quidem ampliſſimum Cognitorem (ipſum puta Praefectum Praetorio Caſſiodorum) *decet beneficia dilatare: quoniam qui omnibus praeeſſe cognoſcitur, cunctis impendere profutura cenſetur. Sed gratificante natura illis amplius*

 debe-

debemus, qui nobis aliqua proximitate iunguntur: dum genus quoddam recti videatur esse propositi, ab aequalitate discedi. Nam modestiam collegis impendimus: reuerentiam patribus debemus: ciuibus debemus communem gratiam, sed affectum filiis singularem; et tanta necessitudinum Vis est, vt nullus se contemtum diiudicet, si sibi aliena pignora praelata esse cognoscit. Et ideo non est aliquid iniustum, de patria plus esse sollicitum, eo praesertim tempore, cum eius videamur periculis subuenire. Plus enim eos diligere credimus, quos eripere festinamus. Veniens itaque numerosus exercitus, qui ad defensionem Reipublicae noscitur destinatus, Lucaniae Brutiorumque dicitur culta (puta ipsam Cassiodori patriam Scyllacio Brutiorum oppido oriundi v. L. I. Ep. 3. et L. XII. Ep. 15.) *vastasse, et abundantiam regionum studio tenuasse rapinarum. Sed quoniam et illis* (Lucaniae ciuibus Brutiisque) *dare, et istis* (copiis adductis) *sumere pro temporis qualitate necesse est; pretia, quae antiquus ordo* (mos vetus regionis) *constituit, ex iussione Rerum Domini* (Regis Theodorici) *cognoscite temperata; vt multo arctius* (multo viliore pretio) *quam vendere solebatis, in assem publicum praebita debeant imputari* (militibus praebita cum tributis reipublicae soluendis debeant pensari) *quatenus nec possessor* (fundorum in Lucania Brutiisque tributariorum) *dispendia* (quamuis forte lucro consueto careat) *nec exercitus laborans* (nimio forte eorum, quae ad victum pertinent, pretio) *sustineri possit inopiam. Nolite igitur esse solliciti* (ob istum transitum); *Euasistis exigentium* (publicanorum) *manus: tributa vobis praesens adimit apparatus* (militi praebitus commeatus.) *Sed quo facilius instrueretur vestra notitia, imputationum summas* (id est quo pretio, qua pecuniae summa, vnaquaeque res militi exhibita in tributa possessoribus praebentibus sit imputanda) *infra scriptis Breuibus credidimus exprimendas:* VT NEMO (eorum qui huic negotio praepositi sunt) VOBIS VENDAT (pretio forte iussione regia minori vendere vestra imperet, adeoque non gratis vobis permittat) BENEFICIVM (obtentam per imputationem apparatus a tributis immunitatem) *quod publica* (regia) *noscitis largitate collatum. Continete ergo* (Vos Provinciae

vinciae Magiſtratus) *poſſeſſorum* (colonorum conductorumque) *intemperantes motus* (tumultus et rixas inde ortas, quod iis graue videretur, et militem recipere, et res ſuas viliori pretio vendere) *ament quieta, quos nullus ad incerta praecipitat. Dum belligerat Gothorum exercitus, ſit in pace Romanus. Felicium votum eſt, quod iubetur. Ne ruſtici* (poſſeſſores) *agreſte hominum genus, dum laborandi taedia fugiunt, illicitis auſibus efferantur, et contra vos* (Magiſtratus) *incipiant erigi, quos vix poteratis in pace moderari. Quapropter ex regia iuſſione ſingulos conductores maſſarum et poſſeſſores validos admonete, vt nullam contrahant in concertatione barbariem: ne non tantum feſtinent bellis prodeſſe, quantum quiete confundere. Arripiant ferrum, ſed vnde agros excolant: ſumant cuſpides, boum ſtimulos, non furoris. Defenſorum* (Eorum qui defenduntur) *maxima laus eſt, ſi cum illi* (Milites Gothi) *videantur praedictas regiones* (Lucaniam Brutiorumque regionem) *protegere, iſti* (Coloni Romani) *non deſinunt patrioticas* (patrias) *terras excolere. Sit Iudicibus vigor ex legibus: ſubſellia non deſinant iura malis moribus intonare. Timeat latro iudicium quod ſemper expauit. Adulter gremium iudicis intremiſcat. Falſarius vocem praeconis exhorreat. Fur fora non rideat: quia tunc libertas gaudet, ſi talia non laetentur. Sic enim proſperrime geri non ſentietis bellum, ſi vobis ſit communiter de ciuilitate conſilium. Nullus opprimat indigentem: inuadite peruaſores: inſequimini perſequentes. Eſt vobis competens pugna ciuilis. Omnia pacata vos redditis, ſi duces ſcelerum comprimatis. In annonis vero reputandis* (redit ad id, a quo exorſus erat, et ad Valerianum conuertit orationem) *eſto ſollicitus: ne aliquem cuiusquam poſſit fraudare verſutia. Rectoribus autem Exercitus a rerum dominis* (an? *domino*, niſi malis Epiſtolam ad Amalaſuntham et eius Filium Athalaricum referre) *ſub mea praeſentia cognoſcite delegatum, vt dum a vobis neceſſario fuerint commoniti, grauatis per iniuriam debeat ſubueniri. Cuſtodiant nihilominus diſciplinam, vnde robuſtius ſemper armatur exercitus. Additum etiam eſt beneficii* (non ſane feudi ſed regiae beneuolentiae) *genus vt a praeſenti deuotione, praeceptis Regis, nec diuina domus*

I 2 *videa-*

cultura se minus alacres atque diligentes praestent. Ad Vasalli fidem hoc pertinebat, vti beneficio suo instar boni patrisfamilias, et, vt reapse in hoc officio minus essent segnes, ipsa amittendi feudi efficiebat facilitas. Immo et Missorum haec erat cura, vt feuda illa respicerent, et Vasallos beneficiis suis abutentes corrigerent. Vide *Capitulare Anni DCCCVI, quintum c. 7. et sequentibus*. LAMPRIDIVS disertis verbis non tradit, oportuisse FILIVM esse militem, fundos, ait, ita fuisse possessorum, vt HEREDES militarent; immo nondum probatum puto, feminas fuisse exclusas, quid si filia virgo vicarium militem dederit? quid si nuptae maritus ad sacramentum militiae se obtulerit? Sane CONSTANTINI PORPHYROGENNETAE *Nouella* idem innuere videtur. ALTESERRA recte ait Veteranis datos fundos limitrophos, ex auctoritate PAVLI et VOPISCI. LAMPRIDIVS Militum meminit, sed quorum quaeso? non sane tyronum, aut prima stipendia facientium, hos e prouincia in prouinciam, a bello ad bellum rapere, publica imperabat necessitas, sed militum multorum stipendiorum, ad militiam longinquam post aetatem fere in castris peractam minus idoneorum, militaturorum tamen, vbi pugna in propinquo erat, verbo, Veteranorum. Porro in eo errat Vir celeberrimus, quod asserat, ipsum tentasse Geraldum, feuda adimere Vasallorum filiis, Carolum Simplicem obstitisse. De Carolo Simplici apud ODONEM CLVNIACENSEM est altum silentium, ipse S. Geraldus pro sua pietate Senioribus obstitit, vt ne Vassis suis feuda adimerent. Exstat illa S. Geraldi Vita apud LAVRENTIVM SVRIVM in Vitis Sanctorum. (b) Et in eo quoque falsus est, quod verba ODONIS clarissima ad casum beneficii mortuo patre filiis negati detorserit, cum de feudo ipsis Vassis possessoribus ob qualemcunque animi commotionem a Senioribus adimendo loquantur, fortissimo pro nostra sententia argumento, ea tempestate beneficia nondum ad filios ipso iure peruenisse, qua seniores eo iure adhuc vtebantur vt ipsis Vassis viuis pro qualibet animi commotione feuda aufferrent. De causis motuum Vasalliticorum imperante Corrado non

I 3 minus

(b) Mense Octobri p. 195.

minus ampliamus. Supereſt vt alias differentias Feudorum et Fundorum Limitrophorum, Viro Illuſtri et eius Aduerſariis non obſeruatas non negligamus. Fundi militares Romanorum fuerunt limitrophi, agri limitanei. PAVLLVS: *Praemia in Germania trans Renum.* LAMPRIDIVS: *Sola limitaneis Ducibus et militibus donauit.* VOPISCVS: *Loca quae anguſte adeuntur*, quae clauſtra ſi militibus ſepiuntur, in finibus ſunt. AVCTOR ANONYMVS: *Limites Arabum.* HONORIVS et THEODOSIVS: *propter curam munitionemque Limitis atque Foſſati.* THEODOSIVS et VALENTINIANVS *Agros Limitaneos.* Feuda Germanorum a prima origine per omnes bello occupatas prouincias ſparſa. Fundi militares, fundi inſidi, dati militibus, vt attentius militent, quod ſua etiam rura defendant, teſte LAMPRIDIO. In feudis Germanorum nihil non tuti et pacati. Fundi militares ex praeda. LAMPRIDIVS: *Sola quae de hoſtibus capta erant.* Feuda Germanorum ex Fiſco Principis. Fundi militares dati militibus *den Soldaten*, qui per omnem aetatem caſtra ſecuti erant, Veteranis maxime, PAVLLO, VOPISCO, immo et LAMPRIDIO teſtibus; Feuda nobilioribus ex Populo, *den Edlen*, etiam illis, de quibus poſt qualecunque tyrocinium ſpes erat, fore, vt inter ancipitia clareſcerent. Fundi militares praemia fuerunt militae actae, Feuda pretia militiae agendae. Feudorum militarium poſſeſſores ſua rura, loca quae anguſte adeuntur, ſimul limitem imperii defendebant. Feudorum vtiles domini Principem in quodcunque bellum ſequi tenebantur. Denique nihil in negotio feudali eſt apicum aut ſubtilitatum ſolennitatumque, vt ad Romanos talium promos condos nobis de originibus ſollicitis ſit confugiendum: immo talis fuit Rerum publicarum Germanicarum natura, vt inter migrationes non potuerit non ſuboriri feudalis conuentio. Non patitur praeſens locus haec firmare, ne nobis, qui Diſſertationem Academicam inſtituimus, Liber exeat. Saltim rubro videmur feciſſe ſatis, demonſtraſſeque Fontem Feudi eſſe Germanicum, poſtquam externae origines, quotquot ad noſtram notitiam peruenere, omnes allatae ſunt, atque pro virili confutatae.

GENE-

GENEROSISSIMO

RESPONDENTI SVO

PRAESES.

REm TIBI non iniucundam me facturum arbitror, GENEROSISSIME BVNAVI, si post tot sermones priuatos, quos familiariter cecidimus, et quorum numerum inire difficile foret, nunc etiam publice in huius Dissertationis calce TE alloquor atque compello. Quartus Annus agitur, ex quo ad has Musarum sedes nouus accessisti hospes; neque ex eo tempore desiisti, aliis TVI ordinis hominibus, siue vitae elegantiam morumque probitatem spectarint, siue ad diligentiam industriamque TVAM animum aduerterint, laudatissimo praeire exemplo. Illud omnium ore celebratur; hoc VIRI ILLVSTRES atque CELEBERRIMI, in quorum scholis bonis literis legitimaeque scientiae vacasti, suo tempore idoneis testimoniis firmabunt. Fert, vt reor, hic locus, quid in literis Iurisque nostri Prudentia vel meo qualicunque ductu studii collocaueris, commemorasse. Historiarum Ciuilium vt iucundissimum ita patentissimum aequor, me praeeunte, es emensus; Hyemalibus illis in Iuris Vniuersi Historiam Praelectionibus iterata diligentia interfuisti; Iuris Ciuilis seueriorem doctrinam priuata priuatissimaque opera pertractasti; Feudalia denique Iura, Fundum Regia Prouidentia mihi peculiariter commendatum, cum in scholis ordinariis, tum extra ordinem, Illustrissimi Generosissimique Sodalitii eximia Portio, perlustrasti, in quibus laboribus praeclarum ingenium TVVM, et ad magna factam indolem abunde mihi probasti. Vnum supererat, vt TVAS Animi Dotes et praeclaros Studiorum Academicorum Fructus publice explicares, ne hoc quidem a TE desiderari passus es: Scripto eleganti Tuae eruditionis primitias ostendisti: nunc huius commen-

tatio-

tationis defendendae causa Cathedram conscendis: mox alia magis egregia Publico daturus. Exemplis domesticis dudum Tibi compertum est, hanc demum veram esse Nobilitatem post istam, quae splendidissimae prosapiae debetur, nascendi felicitatem, ad praeclarissima eniti, et omni virtutum genere alios anteire, quod ipsum, qui in his annis aptius, quam in eiusmodi publica Panegyri fieri possit, me equidem fugit. Securus sum, Te grauissimum non esse erraturum errorem, talia futuram Vitam dedecere, quae, etiam si contingat splendidissima, his initiis illustratur atque condecoratur. Num vero vnquam militem serio piget pudetque, se tyronem post corpus a Centurione vel Tribuno strenue exercitatum, sub eodem primam pugnae, aut, si mauis, velitationis sortem experiri, quamuis Ducis et Imperatoris Decus, Ouationes Triumphosque animo voluat, atque nanciscatur? Rem bellam videre mihi videor, quotiens Dissertationes Academicas voluens, saepenumero in Respondentes gentibus nobilissimis prognatos incido, quos postea ad summa peruenisse ex aliis monumentis mihi constat; aut quotiens in Magnorum eorumque Nobilissimorum Virorum Vitis inter laudes iure meritoque relatum lego, editis Academicis Speciminibus, iussisse Ciues suos non tantum bene sperare, sed etiam confidere, tales futuros, quales cognitos iudicarunt. Mactum itaque TE hac laude, hac virtute TVA, GENEROSISSIME BVNAVI, qui hunc ingressus es callem, istoque exemplo et Academiam exornas, et TIBI ipsi praeclarum ornamentum atque decus concilias. Perge, qua coepisti via, et praemia TE sequentur, quae, qualia futura sint, ego, futurorum ignarus, definire non audeo; magna fore certissimis indiciis cognosco. Seruet modo DEVS T. O. T. M. VENERABILE et MERITIS GRAVE ILLVSTRISSIMAE TVAE et GENTIS et DOMVS CAPVT; seruet IDEM FRATREM ILLVSTRISSIMI PARENTIS rara felicitate COLLEGAM, ex bonorum omnium et meo voto: et nullus dubito fore, vt Diuina Bonitas porro Domum tot Decoribus conspicuam

Certet tergeminis tollere honoribus,

et TE TVASVE Dotes manu sua munifica, plaudentibus et gratulantibus nobis, condecorare. Ceterum, vti non poteris non huius nostrae consuetudinis aliquando meminisse, ita nunc rogo, vt id nunquam non comiter fiat: ego sane suauissimi TVI Commilitii memoriam non intermorituram seruabo. Dabam Lipsiae cIↃ IↃcc XXXII. XXVIII. Iul.